




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consensus Veteris Et Moderni Papatus

**Reck, Johann von der
Monasterii Westphaliæ, 1722**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68472](#)



9h. 5220.

CONSENSUS
VETERIS ET MODERNI
P A P A T U S

Ex ipsis SS. Patrum Scriptis, qui
primis quinque aut sex post Christum
Sæculis floruerunt, compendio de-
monstratus, & germanicè primùm
conscriptus

à

PERILLUSTRI ac GENEROSO DOMINO
D. JOANNE
L. B. à RECK, Dynasta
in Drenstenfort & Wölpendorff &c.

Postea

à quodam Veritatis Studio latine redditus

& impressus Hannovera:

Nunc autem

Singulari animarum aberrantium bono recusus

Accedunt

MOTIVA VERA ac SOLIDA,


Quibus idem

PERILLISTRIS ac GENEROSUS DOMINUS
Ad amplectendam Fidem Romano - Catholicam
permotus est.

Colleg. S. S.
Pad
F. W.

Monasterii Westphaliae:

Ex Typographo Suæ Serenitatis Aulico
Anno MDCCXXII.



APPROBATIO.
NOS NICOLAUS HER-
MANNUS DE KETTELER,
Cathedralis Ecclesiæ Monaste-
riensis Canonicus Capitularis,
Serenitatis Suæ Consiliarius In-
tiinus, per Civitatem ac Diœ-
cesin Monasteriensim Vicarius
in Spiritualibus Authoritate A-
postolica Generalis & Sigillifer,
nec non Præpositus in Wildes-
hausen. Præsens Opusculum,
cui nomen est : *Consensus veteris*
& moderni Papatus (unà cum ad-
junctis motivis veris ac solidis am-
plexæ Religionis Catholicæ, o-
lim à Perillustri ac Generoso
Domino JOANNE L.B. de
RECK, Dynasta in Drensten-
fort

fort & Wolpendorff &c. Germanicè editis, nunc autem sermone Latino donatis) à duobus Theologis revisum & commendatum, Authoritate ordinariâ non solùm approbamus, velut ab omni in Fidem Catholicam offensione liberum; sed etiam singulari animarum aberrantium bono Typis publicis excudi & evulgari permittimus. Sign. Monasterii Westphaliæ Die 24. Novembris Anno 1722.

(L.S.)

Nicolaus Hermannus
de Ketteler, m.p.



PRÆFATIO

*Ad Perillustres ac Generosos Dominos
Equestris Ordinis Diæcesis Monasteriensis,
quicunque ex iis Lutheranismo aut Cal-
vinismo adhuc addicti sunt; nec non
ad omnes Consanguineos &
Amicos meos.*

Non ignotum vobis est, Peril-
lustres Domini, me parenti-
bus, ut vocant, Reformatis
genitum, in religione Cal-
viniana educatum, atque in ea ad
quadraginta & amplius annos tantâ
immobilitate versatum esse, ut omni-
no non ambigerem, vitæ potius meæ
& omnium fortunarum in terris ja-
cturam facere; quam ab erroribus pa-
ternis

ternis recedere, atque ad Ecclesię Catholicę gremium me recipere. Hanc enim congregationem, ex inani atque à teneris implantata persuasione mea, existimabam idolatriæ deditam, Anti-Christi imitaticem, horribilium peccatorum, criminumque participem ac ream esse. Ut autem judicia Dei abyssus multa, Divinæ pietati ac misericordiæ placitum fuit, ex diuturnis errorum tenebris vocare me in admirabile lumen suum palamque in me ostendere Paulinum illud: **Non est violentis, neque currentis; sed miserentis Dei.*

Occasionem huic mutationi præbuere bini è Societate JESU Religiosi, P. Godefridus Cörler, & P. Matthias Kalkoven; cum quorum postremo jam olim, vivente etiamnum Campi Marescallo Excellentissimo Domino Comite de Wahl, in aliquam notitiam ingressus eram. Hi cùm ante sesqui annum circiter in arce mea Steinfurtensi nihil cogitantem me inviserent, non mo-

* Rom. 9.

modò honorificè à me suscepiti ; sed etiam varias inter sermocinationes usque in alterius diei meridiem à me detenti sunt. Et quanquam eo tempore exigua planè mentio apud me facta sit de Religione & rebus ad ipsam pertinentibus ; tamen haud multò pòst, velut in tesseram gratitudinis suæ, geminos ad me libellos transmisere : unum cui titulus *Speculum Catholicæ Veritatis Serenissimi Principis ac Domini, D. Christiani Wilhelmi Marchionis Brandenburgici* ; alterum verò, cui titulus, *Helropolis, Germanicè Sonnen-Stadt* concinnatum à R. P. Jodoco Kedd Societatis Jesu, eodemque Anno Typis publicis evulgatum. Utrumque hoc opusculum petebant à me oculis attentis perlegi , ut in posterum internos , si quo casu ad ædes meas iterum deferendi essent , de rebus inibi contentis prolixior sermo haberri posset.

Non afficiebar tunc ego quidem ad hujusmodi Catholicorum schedas penitus evolvendas ; arbitrabar tamen

vel istorum Patrum petitioni, vel certè curiositati meæ aliquid hìc indulgendum esse: ideóque proponebam animo, geminum illud munus papyraceum oculis digitisque meis attentiùs perscrutari, partim ut viderem, quo Argumentorum pondere Strenuissimus ille Marchio ita oppressus fuerit, ut ejurato Lutheranismo, cuius antea accerrimus Defensor fuerat, Religioni Catholicæ nomen dederit: partim ut occasione datâ, si fortè ab iisdem Patribus visitari denuo me contingereret, ad objectas adversariorum rationes respondere, ac telis tela retundere possem. Verùm, ut eventus docuit, longè aliter res ista cecidit, ac ego mihi pollicitus fueram. Utriusque enim libelli lectio tam perspicuos Lucis supernæ radios mihi infudit, ut oppidò consternatus, errores meos mihi met ipsi suspectos facerem. Videbam ibi validissimis argumentis veluti ad Solis lucem demonstrari, unam duntaxat fidem, & unam in terris Ecclesiam esse; extra quam

quam Salus nulla , & periculum damnationis omnino certum. Idem non multò pòst confirmabat aliquis Calvini de lecta prædicans , dum viro Catholico proponebat , Ecclesiam veram arca Noëticæ persimilem esse , extráque eam tam parum salutis esse , quam extra arcam sperari potuerit vita corporis. Deus bone ! cogitabam ipse mecum : una duntaxat in terris fides , & extra illam salus nulla ? si ità hìc in terris agitur , si salus nostra tam exiguis unius Ecclesiæ terminis circumscripta est ; cur non omnem industria meam eò cum primis verto , ut inter istas Religionum inter se altercantium varietates Ecclesiam istam sollicitius investigem ? id enim si neglexerò , periculum omne in me recidet : & vœ mihi ! si idcirco æternùm reprober.

Ex eo tempore assiduis precibus cœlum pulsare cœpi , Deumque incessanter exorare : * *Da mihi Domine Sed-*

A 5

um

* Sap. 9, v. 4. & 10.

um tuarum Assistricem Sapientiam, &
noli me reprobare à pueris tuis: mitte il-
lam de Cælis Sanctis tuis, & à Sede magni-
tudinis tue, ut sciam, quid acceptum
sit apud te; ut agnoscam Ecclesiam tu-
am veram & unicam, eique me con-
jungendo, salutem æternam consequar.
Simul etiam plures libros, tam Ca-
tholicorum, quam Acatholicorum ca-
lamis exaratos eodem fine conquisi-
vi, puncta modernis temporibus utrumque
controversa per vestigavi, Novatorum
objecta cum responsionibus Catholi-
corum studiosè contuli; primævos de-
nique textus sanctorum Patrum, ac
eorum præcipuè, qui prioribus quin-
que sæculis illustres extitère, sollicitius
introspxi: neque enim dubitare pote-
ram, quin eorum doctrina vel maxi-
mè castigata, & ab omni errorum su-
spicione immunis fuerit. Ecce autem
res visu mira! quidquid in iis doctri-
næ reperi, adeò prosperè & examuſſim
convenire vidi cum hodierna doctrina
Romano-Catholica, ut vix ovum ovo
simi-

similius esse possit. Hærebam h̄ic ego ad aspectus istos : & quid aliud mihi in mentem venire procliviùs poterat, quām ut ita mecum ipse ratiocinarer ? En, ut illi Patres in rebus Fidei eandem doctrinam unanimiter tradidere, quām Ecclesia Catholica etiamnum tenet ! & tamen omnium non modò Papistarum, sed etiam nostrorum calculo sanctissimi fuere, eadēque in Fide salutem æternam consecuti sunt. Qui igitur fieri potest, ut eorum doctrina tempore moderno falsa , impia , & erroribus idololatricis imbuta sit ? aut quomodo nunc in eadem fide non poterit quis cœlum consequi , in qua illi beatis cœlorum sedibus certissimè potiti sunt?

Hoc telo profundius infixo sauius, cœpi huc illuc utramque in partem vacillare, atque ita perturbari animo, ut , cœlo teste, vix ullam diu noctûve quietem caperem. Ex una enim parte difficillimum penéque ignominiosum videbatur mihi, si ab ea religione transfugium

fugium facerem , in qua à puero educatus , sollicitè instructus , & jam annis adeò multis insuperabili zelo versatus fueram. Ex altera verò parte inveniebam , argumentis Catholicorum , quæ cum Scriptura sacra & antiquorum Patrum testimonio apertissimè consonabant , tantum inesse ponderis , ut mea me conscientia planè convinceret , fidem veram & æternæ salutis effectricem unicè apud ipsos reperiri posse. Itaque Deum , Redemptorem ac Salvatorem meum , impensissimè deprecatus sum , ut ex isto perplexitatum labyrintho gressus meos prope diem extricaret , mihi que auxilio esset , ne in re tam gravis momenti , quam tota æternitas ponderosam facit , à vera sinceraque semita exerrarem. Neque defuit Cœlum votis. Postquam enim adhuc brevi tempore cum P. Gerardo Wickede Societatis Jesu mea dubia contulissem , ab eoque , dissolutis omnibus reliquarum difficultatum nodis , penitiùs instructus essem ; firmissimè

simè tandem proposui, terrenis impe-
dimentis omnibus me exsolvere, &
terna perituriis præponere, ad Ecclesiæ
Romano-Catholicæ gremium convo-
lare, Calvinum deserere. Quod etiam
paulò pòst felicissimè præstiti, dum in
pervigilio Sancti Andreæ, quæ est vi-
gesima nona Mensis Novembris, exo-
mologesi sacrâ expiatus, alteróque die,
post emissam Fidei professionem, San-
ctissimo Altaris Sacramento refectus
su(m Annō 1651.

Latere me quidem tunc non poterat,
conversionem hanc variis Protestan-
tium querelis & cavillationibus obno-
xiā fore: atque ideo, priusquam id
consilii caperem, dubia quædam &
quæstiones conscientiæ circa verita-
tem Fidei Typis publicis evulgavi, si-
mul omnes partium adversarum Theo-
logos vehementer obtestatus, ut
iisdem brevi aliquâ ac dilucidâ respon-
sione satisfacerent, unâque demon-
strarent, quænam sit illa Fides, cui
& ego & quivis aliis salutem suam
cre-

credere securissimè possit ac debeat.
Verùm qui laborem hunc suscipere
ausus fuerit, me quidem conscio, ne-
mo repertus est, unum duntaxat Sa-
muel Maresium si excepero, qui
in Urbe Grôningana prolixam ea de-
re disputationem habuit, linguâque
latinâ donatam, Typis commisit. Le-
gi eam tametsi fusam & confusam ad-
modum: nihil tamen præter illa duo,
quæ inferiùs commemoranda sunt,
ibidem reperi; quàm quòd scopus mea-
rum quæstionum ferè præteritus, &
omnis pene Tractatus iste contume-
liis in Fidem Catholicam confertus
sit.

Ex horum genere illud est, quòd,
ut bilem suam liberaliùs effundere pos-
set, novus ille fabulator configere
ausus fit, propositas à me quæstiones
à personato quodam Jesuita adornatas
esse; cum tamen, Deo teste, nullus è
Societate Jesu easdem aut ipse fecerit,
aut prælo dederit. Neque etiam satis
est Maresio, ut Patres dictæ Societatis,
qui

qui suâ doctrinâ Acatholicis Doctoribus ut plurimûm gravis in oculo sudes esse solent , multis conviciis oneret ; sed immodico genii sui æstu huc etiam se abripi passus est , ut paginâ centesimâ quadragesimâ nonâ ausit scribere : **Catholicorum Collegia ac Monasteria** , ob exercitam in iis idololatriam , à Regibus Principibúsque Acatholicis eodem jure everti ac destrui posse , quo priores Cæsares superba gentilium tempa olim confregere . Verum , ô Maresi ! cåne vox & opinio tua homine Christiano digna est , quâ tu Catholicos in Christum credentes comparas cum illis idololatris , qui veri Dei cognitione destituti , stygium hostem in suis delubris coluère ? Tu ergo unus omnium tam audax eris , ut illo tuo perverso calculo omnes retrò **Christianos** , qui ante Lutheri Calvinique ætatem extiterunt , turpissime condemnare , atque in infernales abyssos relegare velis ? Operæ pretium non est , in eo convicio refellendo tempus
tere-

terere; cùm ad fines mihi propositos parùm faciat: illud autem prætermitti non oportet, qualibus ille machinis subvertere conatus sit fundamenta gemina, quibus mea dubia & quæstiones conscientiæ potissimum innituntur. Consistit autem geminus iste aries in duplice propositione negativa, quarum una negat, quòd Lutherani & Reformati inter se dissideant de articulis Fidei, quos ipsi fundamentales nominant: & ideo pag. 13. §. 3. dicit, ea, quæ Lutherus & alii contra Reformatos declamare visi sunt, ex humana tantùm imbecillitate ac fervore disputationis profecta esse. Altera verò negat, quòd Ss. Patres primorum quinque vel sex sæculorum crediderint docuerintque ea omnia, quæ etiamnum credit ac docet Ecclesia Romano-Catholica: & ideo pag. 27. §. 2. confidenter asserit, nunquam aliquos à Catholicis adduci posse, qui primis octingentis aut mille annis, ità docuerint, & administrarint Sacra menta, uti

ut in Ecclesia Catholica hodie fit & fieri solet.

Primam istius Maresianæ enuntiationis partem diductiùs hic refellere, ad me non pertinet. Falsitatem ejus abunde contestantur notissima toto orbe dissidia & cavillationes, quibus Lutherani & Calvinistæ invicem se exagitant. Legat, cui libet, ea quæ Calvinus scripsit contra Joachimum Westphalum Superintendentem, ut vocant, Hamburgensem; nec non quæ Toffanus Schützen ad Diabolum Sacramentarium, aliisque innumeri Calvinistæ contra Lutheranos alios: inveniet in iisdem, & calumniandi, & anathematizandi, & hæreseos condemnandi nec modum nec finem statui. Legat etiam è diverso libros illos, quos Professores Lutherani Wittenbergæ, Lipsiæ, Tubingæ & in aliis eorumdem Universitatibus non ita pridem ediderunt, & singulis ferè Nundinis Francofurtensibus in lucem proferunt: videbit, quam horribilium er-

B

rorum

rorum Calvinistas arguant, eosdémque ita condemnant publicè, ut Lutherani passim dicant, malle se ad Catholicorum, quàm ad Reformatorum partes accedere: quemadmodum id apertè indicat Rhythmus ille germanicus, quem Schlüsselburgii Theologiæ Calvinistarum præfixit M. Jacobus Orthius Lutheranus, ita canens:

*Ein Calvinist ein böser Christ:
Und wer da ist ein Calvinist/
Viel ärger ist / dan ein Papist.*

Hoc est:

*Calvinista maximus
Christianus pessimus:
Qui vult esse Calvinista,
Peior est, quàm sit Papista.*

Quod ad alteram negationis Marianæ partem attinet; ut in ea confundanda adversarium hunc ad aspiciendos Catholicæ Veritatis radios adstringam arctius, fundamenti loco præfigendus mihi est ineluctabilis iste syllogismus: *qui docet & credit, quod Sancti Patres primis quinque aut sex à Christo*

slo

sto saeculis docuerunt & crediderunt, ha-
bet utique doctrinam puram & Fidem
incorruptam, & eternaqz salutis effectricem:
at qui hodierna Ecclesia Romano-Catho-
lica docet adhuc & credit, quod Sancti
Patres primis quinque vel sex à Christo
saeculis docuerunt & crediderunt: ergo
hodierna Ecclesia Romano-Catholica ha-
bet adhuc doctrinam puram & fidem in-
corruptam, & eternaqz salutis effectricem.
In hoc ego Syllogismo, si veritatem
præmissarum, quas majorem & mino-
rem in Scholis vocant, apertè demon-
stravero; planum erit, me non Mare-
sio solùm fecisse satis, sed etiam Reli-
gionem Catholicam eam esse, quam
quisque hominum sub interminatione
sempiterni exitii certissimè amplecti
debeat.

*Majorem negare non volet Maresius,
nec si velit, ausit. Quis enim persua-
dere sibi queat, Ecclesiam ab ipsomet
Christo fundatam ejusque jussu ab A-
postolis propagatam, suis statim in
incunabulis velut senio confectam de-*

B 2 fecisse,

fecisse , iterumque in idolatriam à
liosque errores perversissimos pro-
lapsam esse ? imò quis non potius ar-
bitretur , doctrinam Fidei à primorum
sæculorum Sanctis Patribus , ac nomi-
natim à Sancto Augustino , Cypriano ,
Hilario , Ambrosio , Hieronymo &
aliis , multò melius perceptam esse ,
quām ab iis , qui ante annos non ita
multos primū enati sunt , & hodie
adhuc enascuntur Novatores ? Luthe-
rus ipse tomo quarto Jenensi latino
in C. 5. ad Galatas pag. 174. disertè
confitetur , doctrinam Evangelii primis
quinque aut sex à Christo sæculis pla-
nè incorruptam perstuisse in Ecclesia :
certè , inquit , fuerunt etiam Sancti Hi-
larius , Cyrillus , Athanasius , Ambrosius ,
Augustinus & alii Hi enim sine
ulla superstitione docuerunt Fidem Chri-
sti pure , hereticis restiterunt , & Eccle-
siam ab innumeris erroribus repurgarunt .
Idem cum eo sentiunt non modò Phi-
lippus Melanchton in locis communi-
bus , & omnes Doctores Lutherani ; sed
etiam

etiam Calvinus l. 4. instit. C. 2. §. 3.
& cum illo Antonius Sadel , Wittakerus & alii : à quibus nihil dissentit Albertus Hanefeldius , dum in Concionibus suis Catecheticis Heidelbergæ habitis, & Anno 1634. Francofurti impressis , Chrysostomum , Ambrosium , Augustinum , antiquos & orthodoxos Ecclesiæ Doctores vocat. Ex quibus omnibus perspicuum est , *majorem* ; quam suprà posui , uno Catholicorum ; Lutheranorum & Reformatorum consensu veram esse ; ac proinde ad evincendam prioris syllogismi conclusiōnem nihil amplius desiderari , quām ut alteram quoque propositionem ; quam in scholis *minorem* vocant , pari soliditate stabiliam .

Itaque ut hoc efficerem ; certusque fierem , an , quod negabat Maresius , hodierna Ecclesia Romano-Catholica articulos Fidei suæ , è Sanctis Patribus primorum quinque aut sex saeculorum luculenter ostendere possit ; à viris Catholicorum eruditissimis instanter pe-

ti, ut de articulis nos inter & *Protestantes* maximè controversis pauca & clara Sanctorum Patrum testimonia pro me feligerent. Cui petitioni meæ cùm illi promptissimè statim obsecuti sint; non abs re mihi visum est fore, si ad demonstrandam negationis Marianæ falsitatem textus illos ac testimonia Typis publicis evulgarem. Hac enim ratione effecturum me confido, ut non modò vos, Perillustres Domini, sed etiam quilibet Christianus videat, & veluti manu tangat, doctrinam Catholicam primævorum Patrum doctrinæ consonam, atque idcirco præ quavis alia certissimè amplectendam esse. Valete, & opellam hanc meam, quam utilitati vestræ consecratam volui, ita legite, ut eundem, quem ego, fructum ex illa consequamini.



CA-

CATALOGUS Annorum,
Circa quos floruerunt Sancti Patres ;
citandi pro sequentibus articulis.

S. Ignatius M.	Vixit circa Annum	-	70.
S. Dionysius Arcopagita		-	80.
S. Clemens Romanus		-	90.
S. Justinus Philosophus & M.		-	148.
S. Irenæus Episc. Lugdun. & M.		-	180.
Clemens Alexandrinus		-	190.
Tertullianus		-	200.
Origenes		-	230.
S. Cyprianus		-	240.
S. Methodius		-	250.
Lactantius		-	316.
S. Epiphanius		-	340.
S. Athanasius		-	340.
S. Cyrillus Hierosolymitanus		-	350.
S. Gregorius Nissænus		-	360.
S. Ephrem		-	365.
S. Gregorius Nazianzenus		-	370.
S. Ambrosius		-	374.
S. Hieronymus		-	380.
S. Basilius		-	380.
S. Chrysostomus		-	398.
S. Augustinus		-	400.
S. Theodoreetus		-	426.
Cyrillus Alexandrinus		-	430.
Philippus Presbyter Romanus		-	431.
S. Gregorius Magnus		-	600.
S. Isidorus Episc. Hispal.		-	630.

I. Ad



I.

Ad conservandam Unitatem
in fide, visibili in Ecclesia capite
opus esse.

St Cyprianus lib. 1. epist. 3. Neque enim aliunde obortæ sunt hæreses , aut nata sunt schismata ; quām inde , quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur , nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos , & ad tempus judex vice Dei cogitatur.

S. Hieronymus adversus Lucif. Ecclesiæ salus, in summi Sacerdotis dignitate pendet ; cui si non exors quædam , & ab omnibus eminens detur potestas , tot in Ecclesiis efficiuntur schismata , quot Sacerdotes.

Item lib. 1. contra Jovin. c. 14. inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto , Schismatis tolleretur occasio.

S. Ignatius Martyr Epist. ad Philadelph. Principes subiecti estote Cæsari , mili-

milites Principibus, Diaconi Presbyteris, ut Sacrorum administratoribus: Presbyteri verò & Diaconi, atque omnis clerus simul cum omni populo, & militibus atque Principibus, sed & Cæsare, obedient Episcopo: Episcopus verò Christo, sicut Patri Christus; & ita unitas per omnia servatur.

II.

**Sanctum Petrum Apostolorum,
& universæ Ecclesiæ caput constitutum esse.**

S. Cyprianus libro de simplicitate Prelatorum, sive de unitate Ecclesiæ. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur.

S. Gregorius Magnus l. 4. Epist. 23. ad Maur. Cunctis ergo Evangelium scientibus liquet; quod voce Dominicâ Sancto, & omnium Apostolorum Petro Principi Apostolo, totius Ecclesiæ cura commissa est.

Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joan. c. 12. Intuitus autem eum Jesus (videlicet

licet Petrum) dixit: tu es Simon Filius Jona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus; & nec Simon jam fore nomen sibi, sed Petrus prædictit, vocabulo ipso commodè significans, quòd in eo tanquam in Petra, lapidéque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.

S. Ambrosius in cap. 12. Epist. 2. Cor. Denique prior secutus est Andreas salvatorem, quam Petrus; & tamen primatum non accepit Andreas, sed Petrus.

Item Sermone 47. Petra, inquit, dicitur Petrus, eò quòd tanquam saxum immobile, totius operis Christiani compagem, molémque contineat.

S. Augustinus tomo 4. ex novo Testam. q. 75. (vel quisquis auctor istius operis; constat certè eum vixisse circa tempora Augustini) ipsum enim constituit esse caput eorum, ut Pastor esset Gregis Dominici.

*Item contra Donatistas de baptif. l. 2. c. 1. Ecce ubi commemorat Cyprianus,
quod*

quod etiam nos in Scripturis sacris dicimus, Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet, &c.

III.

Pontificem Romanum, Sancti Petri in primatu Ecclesiæ, successorem esse.

S. Ambrosius ad caput tertium prioris ad Timoth. Ut, cùm totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus ejus dicitur, cuius hodie rector est Damasus.

S. Chrysostomus lib. 2. de Sacerd. Quan-
nam de causa idem ille sanguinem ef-
fudit suum? certè ut pecudes eas ac-
quireret, quarum curam tum Petro,
tum Petri successoribus committebat.

S. Hieronymus ad Papam Damasum de nom. Hypost. Cum successore Pisca-
toris, & discipulo crucis loquor. Ego
nullum primum nisi Christum sequens,
beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri
communione consocior: super illam
Petram ædificatam Ecclesiam scio:qui-
cunque

cunque extra hanc domum agnum co-
mederit , profanus est. Si quis in Arca
Ncē non fuerit, peribit diluvio regnan-
te, & paulò post : Non novi Vitalem, Me-
letium respuo , ignoro Paulinum : qui-
cunque tecum non colligit , spargit :
Hoc est , qui Christi non est, Antichri-
sti est.

*Philippus Presbyter Romanus in Conc.
Ephesino , c. 16.* Nulli dubium , imò
omnibus sæculis notum est , quòd san-
ctus beatissimúsque Petrus Apostolo-
rum Princeps & caput , fideique co-
lumna , & Ecclesiæ Catholicæ funda-
mentum , à Domino nostro JESU
Christo Salvatore humani generis ac
Redemptore , claves regni accepit , sol-
vendique ac ligandi peccata potestas
ipſi data est ; qui usque ad hoc tempus ,
& semper in successoribus vivit & ju-
diciū exerceat. Hujus itaque secun-
dùm ordinem successor , & locum te-
nens sanctus beatissimúsque Papa no-
ster Cælestinus Episcopus nos ad Con-
cilium misit.

S. Au-

S. Augustinus l. 2. c. 51. contra literas Petilian. Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedet, & in qua hodie Anastasius sedet? quare appellas Cathedram pestilentia, Cathedram Apostolicam?

Item Epist. 165. ad Generosum tom. 2.
Si enim ordo Episcoporum sibi succendentium considerandus est, quanto certius, & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evaristus &c.

IV.

De Apostolicis Constitutionibus
& Traditionibus, & quod eadem
sint etiam regula fidei.

S. Epiphanius hæresi 61. Oportet autem & Traditione uti: non enim omnia à Scriptura accipi possunt. Quapropter

propter aliqua in scripturis , aliqua in Traditione Sancti Apostoli tradiderunt , quemadmodum dicit S. Apostolus : sicut tradidi vobis . Et alibi . Sic doceo , & sic tradidi in Ecclesiis .

S. Basilius lib. de Spiritu Sanct. c. 27.

Dogmata quæ in Ecclesia servantur ac prædicantur , partim ex conscripta Doctrina habemus , partim ex Apostolorum Traditione ad nos delata in mysterio recepimus . Quæ utraque eandem ad pietatem vim habent . Et nemo his contradicit , qui vel modicam saltem Ecclesiasticorum jurium experientiam habet . Si enim aggrederer , non scripto proditas consuetudines , velut non magnam vim habentes rejicare ; imprudentes etiam ipsis principibus Evangelii partibus damnum inferemus . Imò potius ipsam Evangelii prædicationem ad nudum nomen contraheremus .

S. Chrysostomus hom. 4. in illa Verba 2 ad Thessalon. c. 2. Itaque Fratres state & tenete Traditiones , ait : hinc est per-

perspicuum, quòd non omnia tradiderunt per epistolam , sed multa etiam sine scriptis. Similiter autem illa , & hæc sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque Traditionem censemus fide dignam. Est traditio, nihil quære amplius.

S. Irenæus lib. 3. c. 4. Quid autem, si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis , nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesiæ? cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum , eorum qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem , & veterum Traditionem diligenter custodientes.

S. Augustinus lib. 2. de Baptismo contra Donatistas c. 7. Quam consuetudinem , *inquit*, credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in literis eorum , neque in Conciliis posteriorum: & tamen quia custo-

custodiuntur per universam Ecclesiam,
non nisi ab ipsis tradita & commenda-
ta creduntur.

*Item de Baptismo contra Donatistas l. 5.
c. 23.* Sicut sunt multa, quæ universa
tenet Ecclesia, & ob hoc ab Aposto-
lis præcepta bene creduntur, quan-
quam scripta non reperiantur.

V.

De Transubstantiatione, sive de
conversione Panis & Vini in Cor-
pus & sanguinem Christi; & de
adoratione venerabilis Sa-
cramenti.

*S. Justinus Martyr Apologia 2. ad An-
toninum Imperat. Quemadmodum per
Verbum Dei caro factus Jesus Christus
Servator noster, & carnem & sangu-
inem salutis nostræ causâ habuit: ad
eundem modum etiam eam, in qua
per preces Verbi ejus ab ipso profecti
gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde san-
guis & caro nostra per mutationem
aluntur, Incarnati illius Jesu Carnem
& Sanguinem esse docti sumus.*

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech.

4. Mystag. Nam sub specie panis datur tibi Corpus; & sub specie Vini datur Sanguis &c.

Et: Hoc sciens, & pro certissimo habens, Panem hunc, qui videtur à nobis, non esse Panem, etiam si gustus Panem esse sentiat; sed esse Corpus Christi. Et vinum, quod à nobis conspicitur, tametsi sensui gustus Vinum esse videatur, non tamen Vinum; sed sanguinem esse Christi.

S. Cyprianus in Sermone de Cæna Domini. Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus, omnipotentiâ Verbi factus est Caro.

S. Ephrem lib. de natura Dei minime scrutanda c. 5. Quid scrutaris inscrutabilia? si ista curiosè rimaris; non jam fidelis vocaberis, sed curiosus. Esto fidelis atque innocens, participa immaculato corpori Domini tui fide plenissimâ, certus, quod agnum ipsum integrum comedis. Ignis immortalis sunt

C

myste-

mysteria : noli temerè ea perscrutari ,
ne in ipsorum perscrutatione combu-
raris.

S. Ambroſius lib. 4. de Sacramentis c.

¶. Sed panis iste, panis est ante verba
Sacramentorum : ubi accesserit con-
ſecratio, de pane fit caro Christi. Hoc
igitur adſtruamus : quomodo potest,
qui panis est, esse Corpus Christi?
conſecratione. Conſecratio igitur,
quibus verbis est, & cujus sermonibus?
Domini Jesu. Nam reliqua omnia,
quæ dicuntur laudem Deo deferunt:
oratio præmittitur pro populo, pro
Regibus, pro cæteris: ubi venit, ut
conficiatur Venerabile Sacramentum;
jam non suis sermonibus Sacerdos, sed
utitur sermonibus Christi. Ergo sermo
Christi hoc conficit Sacramentum.
Quis sermo Christi? nempe is, quo
facta sunt omnia. Jussit Dominus, &
factum est cælum: Jussit Dominus, &
facta est terra. Jussit Dominus, & fa-
cta sunt maria: Jussit Dominus, &
omnis creatura generata est. Vides er-

go

go, quām operatorius sit sermo Christi? Si ergo tanta vis in sermone Domini Iesu , ut inciperent esse , quæ non erant ; quanto magis operatorius est , ut quæ erant , in aliud commutentur? Cælum non erat , mare non erat , terra non erat. Sed audi dicentem : Ipse dixit , & facta sunt : ipse mandavit , & creata sunt. Ergo tibi ut respondeam , non erat corpus Christi ante consecrationem. Sed post consecrationem dico tibi , quod jam corpus est Christi : ipse dixit , & factum est ; ipse mandavit , & creatum est.

S. Augustinus Sermone 28. de verbis Domini. Dixi vobis , quod ante verba Christi , quod offertur , panis dicatur : ubi verba Christi deprompta fuerint , non jam panis dicitur , sed corpus (Christi) appellatur.

Item in Psal. 33. Conciione 1. Ferebatur enim Christus in manibus suis , quando commendans corpus suum , ait : HOC EST CORPUS MEUM. Ferebat enim illud corpus in manibus suis.

*Idem Sanctus Doctor sanctissimum
hoc Sacramentum adorandum docet plu-
ribus locis, & imprimis explicans illud
Psal. 98. ADORATE SCABELLUM PEDIUM
Ejus. ait : Fluctuans converto me
ad Christum, quia ipsum quæro hic ;
& invenio, quomodo sine impietate
adoretur terra, adoretur scabellum
pedum ejus ? Suscepit enim de terra
terram: quia caro de terra est, & de
carne Mariæ carnem accepit. Et
quia in ipsa carne hic ambulavit, &
ipsam carnem manducandam nobis
ad salutem dedit ; nemo autem il-
lam carnem manducat, nisi prius a-
doraverit : inventum est, quemad-
modum adoretur tale scabellum pe-
dum Domini, ut non solùm non pec-
cemos adorando, sed peccemus non
adorando.*

*Item Epistola 120. ad Honoratum,
c. 27. exponens illud Psalmi 21. MAN-
DUCAVERUNT, ET ADORAVERUNT OM-
NES DIVITES PLEBIS, & ipsi, inquit,
adducti sunt ad mensam Christi, &
acci-*

accipiunt de corpore & sanguine ejus.
Sed adorant tantum ; non etiam sa-
turantur , quia non imitantur : man-
ducantes enim pauperem , dedignan-
tur esse pauperes &c.

Item libro 20. contra Faustum c. 13.
testatur tam usitatam fuisse Christianis
Eucharistie adorationem , ut eorum ob-
trectatores falso confinxerint Cererem
& Bacchum ab eisdem coli : ait enim :
quomodo ergo comparas panem &
calicem nostrum , & parem religio-
nem dicis , errorem longè à veritate
discretum; pejus desipiens , quām non-
nulli , qui nos propter panem & ca-
licem , Cererem ac Liberum colere
existimant.

V I.

De Sacrificio Missæ.

S. Cyril. Hierosol. l. catech. s. Mystag.
Deinde verò, postquam confectum est
illud Spirituale Sacrificium , & ille cul-
tus incruentus super ipsâ propitiatio-
nis hostiâ ; obsecramus Deum pro-

C 3 com-

communi Ecclesiæ pace , pro tranquillitate mundi , pro Regibus , pro militibus , pro sociis , pro ægrotis & afflictis , & in summâ pro iis omnibus, qui egent auxilio.

Et ibidem. Sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus , ut & nobis & illis eum , qui est benignissimus , propitium reddamus.

S. Chrysostomus in comment. Ps. 55,
postquam illud Malachia cap. 1. adduxerat . NON EST MIHI VOLUNTAS IN VOBIS , &c. subjungit. Vide , quâm luculenter atque dilucidè mysticam interpretatus est mensam , quæ est incruenta hostia. Thymiana autem purum vocat sacras preces , quæ post hostiam offeruntur.

S. Ambrosius in præparat ad Missam.
 Aceedo ad altare tuum , licet peccator , ut offeram tibi sacrificium , quod tu instituisti , & offerri præcepisti in commemorationem tui , pro salute nostrâ.

S. Irenæus lib. 4. adversus Hær. c. 32.
 Novi

Novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offerat Deo, ei, qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in novo Testamento, de quo in XII. prophetis Malachias sic præsignificavit : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & Sacrificium non accipiam de manibus vestris, &c.* manifestissimè significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo ; omni autem loco sacrificium offertur ei, & hoc purum : nomen autem ejus glorificatur in gentibus.

Cyrillus Alexandrinus in declaracione Anathematismi XI. sanctum ac vivificum incruentumque in Ecclesiis celebramus Sacrificium, non hominis alicujus nobis similis & communis corpus, consimiliter & pretiosum sanguinem esse, quod proponitur, credentes ; sed magis tanquam proprium vivificantis Verbi corpus & sanguinem accipimus.

S. Au-

S. Augustinus lib. 18. de Civit. Dei c. 35. Malachias prophetans Ecclesiam, quam per Christum jam cernimus propagatam, Judæis apertissimè dicit ex persona Dei : *Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra : ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus,* dicit Dominus. Hoc Sacrificium per Sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech, cùm in omni loco, à solis ortu usque ad occasum, Deo jam videamus offerri ; Sacrificium autem Judæorum, quibus dictum est : *non est mihi voluntas in vobis, nec accipiam de manibus vestris munus,* cessasse, negare non possunt.

Item lib. 2. de Civit. c. 10. Nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus ; sed uni Deo, & Martyrum & nostro, Sacrificium immolamus.

Et paulo post. Ipsum verò Sacrificium, Corpus est Christi.

V. I. I.

De Purgatorio.

S. Hieronymus in fine commentarii in Isaiam. Et sicut diaboli, & omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo, non est Deus, credimus æterna tormenta: sic peccatorum atque impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitramur, & mixtam clementiæ sententiam judicis.

S. Cyprianus lib. 4. epist. ad Antonian. Aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, & purgari diu igne; aliud peccata omnia passione purgasse.

S. Theodoreetus in comment. ad 1. Cor. 3. Hunc ipsum ignem Purgatorium credimus, in quo animæ defunctorum probantur & repurgantur, sicut aurum in conflatorio.

S. Gregorius Nyssenus in orat. pro mort. Non poterit à corpore egreditus divinitatis particeps fieri, nisi ma-

culas animo immixtas Purgatorius
ignis abstulerit.

S. Gregorius lib. 4. dial. c. 39. Ex quibus nimirum sententiis constat ; quia qualis hinc quisque egreditur , talis in judicio præsentatur. Sed tamen , de quibusdam levibus culpis, esse ante judicium Purgatorius ignis credendus est , pro eo , quod veritas dicit : quia si quis in Sancto Spiritu blasphemiam dixerit , neque in hoc sæculo remittetur ei , neque in futuro. In qua sententia datur intelligi , quasdam culpas in hoc sæculo , quasdam verò in futuro posse laxari. Quod enim de uno negatur , consequens intellectus patet , quia de quibusdam conceditur.

S. Augustinus Hom. 16. ex lib. 50. hom. Qui temporalibus pœnis digna gesserunt , per ignem quendam Purgatorium transibunt : de quo Apostolus inquit , salvus erit ; sic tamen quasi per ignem.

V I I I.

De Sacrificio, & Oratione pro
mortuis,

S. Athanasius ad Antioch. q. 34. Ita intelligimus peccatorum animas participare aliqua beneficentia, ac exanguis immolatione, & gratificatione pro ipsis facta.

S. Cyrillus Hierosolymitans Cateches. Mystag. 5. Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vitâ functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio Sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, Sacrificii.

S. Dionysius Areopagita de Eccles. Hierarch. c. 7. par 3. Accedens deinde venerandus Antistes, precem Sacram super mortuum peragit. Precatur oratio illa divinam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humana-
nam admissa peccata defuncto, cùm-
que in luce statuat, & regione vivo-
rum.

S.

S. Chrysostomus hom. 69. ad populum Antioch. Non temerè ab Apostolis hæc fancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio: sciunt enim inde multum illis contingere lucrum, utilitatem mulcam.

Item hom. 21. in acta Apost. Non frustra oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosynæ. Hæc omnia spiritus disposuit volens, ut nos mutuum juvemus.

Et paulo post. Ne dubita, quia erit aliquis fructus. Non frustra Diaconus clamat: pro his, qui defuncti sunt in Christo, & pro his, qui illorum memoriam faciunt.

S. Isidorus lib. 1. de off. Divin. c. 18. Nisi Catholica Ecclesia crederet, fidelibus defunctis dimitti peccata; non pro eorum spiritibus, vel eleemosynam faceret, vel Deo Sacrificium offerret.

S. Augustinus in lib. de cura pro mortuis c. 1. In Machabæorum libris legimus,

mus, oblatum pro mortuis Sacrificium. Sed & si nusquam in scripturis veteribus legeretur ; non parva est universæ Ecclesiæ , quæ in hac consuetudine claret, authoritas : ubi in precibus Sacerdotis , quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur , locum suum habet etiam commendatio mortuorum.

Item eodem lib. c. 4. Non sunt prætermittendæ supplicationes pro Spiritibus mortuorum ; quas faciendas pro omnibus in Christiana , & Catholica societate defunctis , etiam tacitis noninibus quorumque , sub generali commemoratione suscepit Ecclesia.

IX.

De Invocatione Sanctorum.

Congregati in Consilio Chalcedonensi , anno 451. sexcenti triginta Patres , unâ voce dixerunt : FLAVIANUS POST MORTEM VIVIT , MARTYR PRO NOBIS ORET.

Origenes lib. 2. in Job. O Beate Job,
vi-

vivens in perpetuum apud Deum, & victor permanens in conspectu Regis Domini , ora pro nobis miseris , ut etiam nos terribilis Dei misericordia protegat in omnibus tribulationibus, & eripiat ab omnibus oppressionibus maligni , & connumeret nos cum iustis.

S. Athanasius Serm. de sanctissima Deipara. Inclina aurem tuam (Maria) in preces nostras , & ne obliviscaris populi tui. *Et infra.* Intercede hera, & Domina , & Regina , & Mater Dei pro nobis.

S. Gregorius Nazianzenus Oratione in laudem Cypriani. Ac tu (Cypriane) nos è cælo benignus aspicias , sermónesque nostros & vitam gubernes , sacrúmque hunc gregem pascas , aut pascentem adjuves.

Item in Tragœdia de Christo patiente sub finem.

*Veneranda ô Virgo, casta, felicissima,
Quando Beata nunc Beatorum in polo,
Exuta quidquid facis humanae, sedes,*
Be-

Benigna adest o vocibus meis, preces

Admitte Virgo.

S. Ambrosius lib. de viduis post medium.

Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt: Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, etiam si qua habuerunt, peccata laverunt. Isti enim sunt Dei Martyres, nostri præfules, speculatores vitæ, actuumque nostrorum.

S. Gregorius Nyssenus in Orat. de S. Theodoro Martyre. Multorum beneficiorum indigemus. Intercede ac depicare pro Patria apud communem Regem & Dominum. *Et paulò post.* Ut miles propugna pro nobis, ut Martyr utere libertate loquendi.

S. Augustinus in natali S. Stephani serm. 3. c. 5. Cum eo quem lapidasti, cum Christo regnas (*S. Augustinus hic alloquitur Paulum*) ambo ibi vos videntis, ambo modò sermonem nostrum auditis

auditis: ambo pro nobis orate. Ambos
vos exaudiet, qui vos coronavit; u-
num prius, alterum postea.

Serm. 5. de eodem in fine. Et ideo
conversi tecum, deprecemur, Beatissi-
mum Martyrem Christi, ut meritis
ipsius nobis imploret coronam in vita
perpetua, ut cum eo simus in sæculo-
rum sæcula. Amen.

X.

De cultu Sacrarum Reliquia-
rum.

S. Basilius in illud Psal. 115. PRETIOSA
IN CONSPECTU DOMINI MORS SANCTO-
RUM ejus: quando, *inquit*, Judaicè
quis moriebatur, abominabilia erant
morticina: cùm pro Christo mors
contingit, pretiosæ sunt reliquiae San-
ctorum ejus. Antea dicebatur Sacer-
dotibus & Deo dicatis: non contami-
nabitur ex aliquo mortuo. Nunc au-
tem qui contingit ossa Martyris, quan-
dam sanctificationis societatem assu-
mit ex gratia corpori insidente. *Pre-
tiosa*

tiosa itaque in conspectu Domini mors
Sanctorum ejus.

S. Chrysostomus tom. 5. hom. 66. ad populum Antiochenum circa finem, Comparans sepulchra Martyrum cum sepulchris regum. Itaque, inquit, quò regias quidem aulas videat, nullus unquam peregrinatus fuerit: multi verò Reges plerumque hujus spectaculi gratiā peregrinati sunt. Futuri namque judicii vestigia & signa, Sanctorum ædes exhibit, ubi dæmones flagellantur, corriguntur homines, & liberantur.

Item Sermone de Sanctis Juventio & Maximo. Idcirco sæpius eos (Martyres) invisamus, tumulos adoremus, magnáque fide reliquias eorum contingamus, ut inde benedictionem aliquam assequamur:

S. Hieronymus lib. contra Vigilant. c. 2. Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum basilicas ingredimur? sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui Sanctas reliquias Andreæ, Lucæ

D & Ti-

& Timothei transtulit Constantino-
polim , apud quas dæmones rugiunt,
& inhabitatores Vigilantii illorum se
sentire præsentiam confitentur ? Sa-
cilegus dicendus est & nunc Augu-
stus Arcadius , qui ossa Beati Samue-
lis longo post tempore de Judæa tran-
stulit in Thraciam ? omnes Episcopi
non solum sacrilegi , sed & fatui ju-
dicandi , qui rem vilissimam , & ci-
neres dissolutos , in serico & vase au-
reco portaverunt ? Stulti omnium Ec-
clesiarum populi , qui occurrerunt
sanctis Reliquiis , & tantâ lætitia ,
quasi præsentem viventemque Pro-
phetam cernerent , susceperunt.

*Item Epist. 53. ad Ripar. adversus
Vigilantium , qui etiam cultum sacra-
rum Reliquiarum spernebat , sequenti-
bus verbis scribit : Ais Vigilantium
os fœtidum rursus aperire , & puto-
rem spurcissimum contra Sanctorum
Martyrum proferre reliquias : & nos ,
qui eas suscipimus , appellare cinera-
rios & idololatras , qui mortuorum
homi-*

hominum ossa veneremur. O infelicem hominem , & omni lacrymarum fonte plangendum , qui hæc dicens non se intelligat esse Samaritanum & Judæum &c.

S. Augustinus Epist. 137. ad clerum & populum Hippo- nensem. Verumtamen ad ista, quæ hominibus visibili- ter nota sunt , quis potest ejus con- filium perscrutari , quare in aliis lo- cis hæc miracula fiant , in aliis non fiant ? multis enim est notissima san- citas loci , ubi Beati Felicis Nolen- sis corpus conditum est , quò volui ut pergerent , quia inde nobis facili- us fideliūsque scribi potest , quidquid in eorum aliquo divinitus fuerit pro- palatum. Nam & nos novimus Me- diolani apud memoriam Sanctorum , ubi mirabiliter & terribiliter dæmo- nes confitentur , furem quendam , qui ad eum locum venerat , ut falsum jurando deciperet , compulsum fuisse confiteri furtum , & quod abstulerat reddere. Nunquid non & Africa

sanctorum Martyrum corporibus plena est ? & tamen nusquam hic sci-
mus talia fieri. Sicut enim (quod A-
postolus dicit) non omnes Sancti ha-
bent dona curationum , nec o-
mnes habent dijudicationes spiritu-
um ; ita nec in omnibus memoriis
Sanctorum ista fieri voluit ille, qui di-
vidit propria unicuique, prout vult.

X I.

De cultu Imaginum.

S. Methodius Orat. 2. de resurrect.

Quas quidem ex auro imagines con-
flamus , Angelorum ipsius principa-
tus & potestates referentes , eas ad
honorem & gloriam Dei conficimus.

S. Athanasius ad Antioch. q. 39.

Non ut Deos adoramus imagines ,
nos qui fideles sumus (Absit) ut
ethnici faciunt ; sed solummodo af-
fectionem & amorem animi nostri ,
quo erga characterem imaginis af-
fecti sumus , significamus.

*S. Basilius Epist. ad Julianum Aposto-
tam.*

tam. Historias imaginum illorum (Apostolorum, Prophetarum & Martrum) honoro, & palam adoro: hoc enim nobis traditum à Sanctis Apostolis, non est prohibendum; sed in omnibus Ecclesiis nostris eorum historias erigimus.

S. Gregorius Nyssenus Oratione de laudibus S. Theodori Martyris. Solet enim etiam pictura tacens in pariete loqui, maximèque prodesse.

S. Hieronymus ad Eustochium in epitaphio Paulæ Romanæ piissimæ fæminæ scribit: Prostrata ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.

S. Gregorius Magnus lib. 7. Epist. III. ad Serenum Massiliensem Episcopum. Idcirco enim pictura in Ecclesiis adhibetur; ut hi, qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent.

Idem lib. 9. epist. 9. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus: quia in ipsa

D 3 etiam

etiam ignorantēs vident, quid sequi
debeant; in ipsā legunt, qui literas
nesciunt.

Item lib. 7. epist. 53. Scio quidem,
quod imaginem Salvatoris nostri non
ideo petis, ut quasi Deum colas;
sed ob recordationem filii Dei in
amore ejus recalescas.

*S. Augustinus lib. 3. de doctrina Chri-
stiana cap. 9.* Docet honorandas imagi-
nes, quia honor iste ad earum prototypon,
sive ad res illas, quas nobis exhibent,
refertur. Qui verò aut operatur aut
veneratur utile signum divinitus insti-
tutum, cuius vim significationemque
intelligit, non hoc veneratur, quod vi-
detur & transit; sed illud potius, quò
talia cuncta referenda sunt.

X I I.

De libero hominis arbitrio.

S. Cyprianus lib. 1. epist. ad Cornelium.
Nec præpositum servum deserit à qui-
busdam miretur aliquis, quando i-
psum Dominum magnalia & mirabi-
lia

lia summa facientem , & virtutes fa-
ctorum suorum Dei Patris testimo-
nio cōprobantem , Discipuli sui re-
liquerint. Et tamen ille non incre-
puit recedentes , aut graviter cō-
minatus est ; sed magis conversus ad
Apostolos suos dixit : nonquid &
vos vultis ire ? servans scilicet legem,
quā homo libertati suæ relictus , &
in arbitrio proprio constitutus , sibi-
met ipsi vel mortem appetit , vel sa-
lutem.

S. Clemens Romanus l. 3. recogn. Sed
Sed dic: quomodo ergo Deus judicat
secundūm veritatem unumquemque
pro actibus suis , si agere aliquid in
potestate sua non habuit ? hoc si te-
neatur , convulsa sunt omnia. Frustra
erit studium sectandi meliora ; sed &
judices sæculi frustra legibus præsunt
& puniunt eos , qui male agunt : non
enim in sua potestate habuerunt , ut
non peccarent.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 4
Illuminat. Anima sui juris , suique ar-
D 4 bitrii

bitrii est : & diabolus eam sollicitare , falleréque quidem potest ; at cogendi , nisi velit ipsa , potestatem non habet. Suggerit tibi scortationis cogitationem : si velis , admittis : nam si necessitate coactus scortareris , quam ob rem Deus gehennam parasset ? Mansueta est ovis : verùm nunquam ea propter eam mansuetudinem coronam est adepta ; quandoquidem ea mansuetudo non animi iudicio voluntatéque , sed naturā instituta est.

S. Hieronymus lib. 2. contra Jovin.
c. 2. Liberi arbitrii nos condidit Deus : nec ad virtutes , nec ad vitia necessitate trahimur : alioquin ubi necessitas , nec damnatio nec corona est.

S. Augustinus lib. 2. de libero arbitrio c. 1. Habemus liberum voluntatis arbitrium , & non nisi eo peccamus.

Item libro de quantitate animæ c. 6.
Datum est animæ liberum arbitrium ,
quod qui nugatoriis ratiocinationibus

bus labefactare conantur , usque adeo cæci sunt ; ut ne ista quidem vana atque sacrilega , propria voluntate se dicere intelligant.

Item lib. 5. de civitate Dei c. 10,
Quocirca nullo modo cogimus , aut retentâ præscientiâ Dei tollere voluntatis arbitrium ; aut retento voluntatis arbitrio , Deum , quod nefas est , negare præscium futurorum : sed utrumque amplectimur , utrumque fideliter & veraciter confitemur .

X I I I.

De bonis operibus , & eorum dem merito.

S. Cyprianus de unit. Eccles. Justitiâ opus est , ut promereri quis possit Deum : præceptis ejus & monitis obtemperandum est , ut accipiant merita nostra mercedem

S. Chrysostomus conc. 4. dc Lazaro. Si justus est Deus , & his & illis reddet pro meritis. Quòd si & his & illis reppendet pro meritis : hic verò nullus

D 5 co-

eorum recepit , neque ille improbitatis pœnam , neque hic virtutis præmia; perspicuum est , restare tempus aliud , in quo congruens præmium horum uterque ferat.

S. Basilius Orat. sup. princ. proverb.
Omnes, qui vitam Evangelicam incedimus , mercatores sumus , per opera mandatorum nobis possessionem cælestium comparantes.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. in Bapt. Crede resurrectionem , judicium , mercedem , ad justam lancem exigendam.

S. Augustinus de grat. & lib. arbit.
c. 9. Nunquid non corona bonis operibus redditur ? Sed quia ipsa bona opera ille in nobis operatur , de quo dictum est : Deus est enim , qui operatur in nobis & velle & operari , pro bona voluntate ; ideo dixit Psalmus : coronat te in miseratione & misericordia , quia ejus miseratione bona operamur , quibus corona reditur.

Item

Item serm. 3. de verbis Domini. O magna bonitas Dei ! cui cùm pro conditione reddere debeamus obsequia , utpote servi Domino , famuli Deo , subjecti potenti , mancipia redemptori ; amicitiarum nobis præmia repromittit , ut à nobis obsequia debitæ servitutis extorqueat.

Item in Psal. 38. Debitorem Dominus ipse fecit se , non accipiendo , sed promittendo : non ei dicitur , redde , quod acceperisti ; sed redde , quod promisisti.

X I V.

Quod sola fides non justificet
sine bonis operibus.

S. Ignatius Martyr Epist. ad Ephesios.
Principium vitæ est fides , finis vero ejus dilectio. Ambæ autem simul junctæ , & in unitate factæ , hominem Dei perficiunt.

Origenes lib. 2. in epist. ad Roman.
Quia & fides sine operibus mortua dicitur , & ex operibus sine fide nemo apud Deum justificatur. S.

S. Chrysostomus hom. 70. in Matth.
 Deinde ne fideles solâ se fide salvare
 posse confidant , de pñnâ malorum
 differit. Ita infideles ad fidem , fideles
 vero ad rectè vivendum cohortatur.

S. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum c. 1. Quomodo corpus sine spi-
 ritu mortuum est , sic & fides sine
 operibus mortua est. Nec grande pu-
 temus unum Deum nosse , cùm &
 dæmones credant & contremiscant.
 Qui dicit se in ipso manere ; debet
 sicut ille ambulavit , & ipse ambulare.

Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom.
 Præcedit fides , timor autem ædificat ,
 perficit autem dilectio.

*S. Augustinus serm. 22. de verbis A-
 post.* Domus Dei credendo fundatur ,
 sperando erigitur , diligendo perfici-
 tur.

Item libro de fide & operibus. Qua-
 re jam illud videamus , quod excluden-
 dum est à cordibus religiosis , ne ma-
 lâ securitate salutem suam perdant ,
 si ad eam obtainendam sufficere solam
 fidem

fidem putaverint ; bene autem vivere , & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint.

Item lib. 83. question. 76. Quoniam Paulus Apostolus prædicans justificari hominem per fidem sine operibus, non bene intellectus est ab iis, qui sic acceperunt dictum, ut putarent, cùm semel in Christum credidissent, etiamsi malè operarentur, & facinorosè flagitiosèque viverent, salvos se esse posse per fidem.

Et paulò post. Quapropter non sunt sibi contrariæ duorum Apostolorum sententiæ, Pauli & Jacobi, cùm dicit unus justificari hominem per fidem sine operibus ; & alius dicit, inanem esse fidem sine operibus, quia ille dicit de operibus, quæ fidem præcedunt ; iste de iis, quæ fidem sequuntur.

X V.

Quod mandata Dei , per ejusdem gratiam, servatu sint possilia.

S. Hieronymus in caput 5. Matth.

Multi

Multi præcepta Dei imbecillitate suâ, non Sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt.

Item in explicatione Symboli ad Damasum. Execramur etiam eorum blasphemiam, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo præceptum esse.

S. Chrysostomus hom. 19. in epist. ad Hebreos. Et quomodo possibile est hoc, inquis, diligere proximum sicut se ipsum? Si non fecerunt etiam hoc alii, bene putas impossibile: si autem fecerunt, manifestum est, quia per negligentiam à nobis non efficitur. Sed & alias nihil impossibile imperat Christus, in tantum, ut etiam multi supergressi sint ejus præcepta. Quis ergo, inquis, fecit hoc? Paulus, Petrus, & omnis chorus Sanctorum.

S. Basilius in illud: Attende tibi, non procul ab initio. Impium est dicere, impossibilia esse Spiritus præcepta.

S. Cyprianus de baptis. Christi. Lex tua

tua docet vitare peccatum, & corripit transgressores. Nihil impossibile, nihil jubet austерum. *Et eodem Tractatu.* Quodsi impossibilia essent præcepta tua, vel tantis difficultatibus onerata, vel voluntas tua sic abdita, ut non posset intelligi, quid à nobis expeteret tua altitudo (licet invitus nemo peccet) posset tamen ex multis excusare delictum, nisi nobis & moderatio mandati, & veritatis cognitio, & agendorum distinctione auctoritate cognoscibili providissent, & simul se complectarentur possibilitas & facilitas, scientia & potestas.

Præcipis mihi Domine Deus, ut diligam te: hoc & possum, & debedo.

S. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis & remissione c. 6. Dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse; nec Deo ad opitulandum & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impossibile aliquid esse.

Item

Item de natura & gratia c. 43. Non igitur Deus impossibilia jubet ; sed jubendo admonet , & facere quod possis , & petere quod non possis.

Item cod. lib. c. 69. Eo quippe ipso , quo firmissimè creditur Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere ; hinc admonemur , & in facilibus quid agamus , & in difficultibus quid petamus . Omnia quippe fiunt facilita charitati , cui uni Christi sarcina levis est .

Item de gratia & libero arbitrio c. 16. Magnum aliquid Pelagiani se scire putant , quando dicunt , non juberet Deus , quod sciret , non posse ab homine fieri . Quis hoc nescit ?

X V I.

De voto Castitatis.

S. Athanasius lib. de Virginitate. Postquam continentiam professa es , corpus tuum sanctificasti .

Origenes homil. 23. in lib. Num. Certum est , quia impeditur sacrificium inde-

indesinens iis , qui conjugalibus necessitatibus serviunt. Unde videtur mihi, quod illius est solius offerre Sacrifictum indesinens , qui indesinenti & perpetuæ se devoverit castitati.

S. Chrysostomus de virginit. c. 39. Si nupsit virgo, non peccavit : non de ea loquitur Apostolus , quæ matrimonio renuntiavit (evidens est enim, eam piaculum commisisse , & quidem infandum) sed quæ & expers matrimonii sit , & nondum hoc aut illud statuerit ; sed tanquam in meditullio harum cogitationum consistat. *Et post pauca* : quæ vidua mera sit, ei , si velit , nubere permittit : at quæ perpetuò vidua agere , Deo promisit , atque interim nubit , eam vehementer damnat , quæ initum cum Deo pactum calcet. Non ergo his , sed illis dicit : tamen si se non continent, contrahant matrimonium ; satius est enim , matrimonium contrahere , quam ardere.

Item epistola sexta ad Theodorum

E

Mona-

Monachum. Bonum quidem nuptias & ipse confiteor. Honorabiles, inquit, nuptiæ, & cubile immaculatum. Fornicatores autem & adulteros judicat Deus. Sed te jam servare non convenient privilegia nuptiarum: Angelorum enim societati semel junctum, illam relinquere, & uxoris laqueis implicari, adulterii crimen incurrere est. Quamvis frequenter hoc ipsum nuptias voces; ego tamen & adulterio illud tanto pejus affirmo, quanto major ac melior mortalibus Angelus.

S. Augustinus in Psal. 75. de iis, qui perpetuam castitatem voverunt, ita scribit: Quid autem ait Apostolus Paulus de quibusdam, quæ voverunt, & non reddiderunt? Habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quid est, primam fidem irritam fecerunt? Voverunt, & non reddiderunt. Nemo ergo positus in Monasterio frater dicat: recedo de Monasterio: neque enim soli, qui sunt in Monasterio, per-

ven-

venturi sunt ad regnum cælorum ; & illi , qui ibi non sunt , ad Deum non pertinent . Respondetur ei : sed illi non voverunt : tu vovisti , tu retrò respexisti .

Item in Psal. 83. ita scribit : alius ex munere Dei majus aliquid vovit ; statuit nec nuptias pati . Qui non damnaretur , si duxisset uxorem , post votum , quod Deo promisit , si duixerit , damnabitur ; cùm hoc faciat , quod ille , qui non promiserat : tamen ille non damnatur , iste damnatur . Quare nisi quia iste respexit retrò ? Sic virgo , quæ si nuberet , non peccavit ; sanctimonialis si nupserit , Christi adultera reputabitur . Respexit enim retrò de loco , quò accederat .

Item lib. de bono viduitatis c. 8. Proinde quæ se non continent , nubant , antequam continentiam profiteantur , antequam Deo voveant : quod nisi reddant , jure damnantur .

XVII.

De Jejunio.

S. Ignatius Martyr epist. ad Philipp.
 Festivitates ne de honestetis : quadra-
 gesimale jejunium ne spernatis : con-
 tinet enim imitationem conversatio-
 nis Dominicæ.

Et mox : Jejunare quartis & sex-
 tis fériis ne negligatis, ciborum reli-
 quias pauperibus elargientes.

S. Clemens Romanus lib. 5. const. A-
postol. c. 12. Post quos dies servan-
 dum vobis est jejunium quadragesi-
 mæ, quod vitæ Christi & legis latæ
 recordationem continet.

S. Hieronymus lib. 5. const. Apost.
c. 13. Nos unam quadragesimam, se-
 cundum traditionem Apostolorum,
 tempore nobis congruo jejunamus.

S. Ambrosius serm. 34. Bonum est
 quidem cunctis temporibus jejunare:
 sed melius, quadragesimam jejunare
 cum Christo. Hanc enim quadrage-
 simam nobis Dominus suo jejunio
 con-

consecravit. Quisquis ergo christianus consecratam jejunando non impleverit quadragesimam, prævaricationis & contumaciæ reus tenebitur, quòd legem divinitus pro salute sua datam prandendo ipse rescindit. Rescindis enim legem, qui exemplum jejunii Dominici non custodis.

Item Epist. 82. ad Ecclesiam Vercellensem. Audio enim homines, qui dicunt nullum esse abstinentiæ meritum, nullam frugalitatis, nullam virginitatis gratiam, pari omnes æstimari pretio, delirare omnes, qui jejunii castigent corpus suum, ut menti subditam faciant. &c. *Et mox.* Quæ istos Epicuræos nova schola misit? & *infra:* qui sunt ergo hi præceptores novi, qui meritum excludant jejunii? nonne gentilium vox est ista dicentium, manducemus & bibamus?

S. Augustinus Epist. 119. c. 15. Quadragesima sanè jejuniorum, habet autoritatem & in veteribus libris ex

E 3 jeju-

jejunio Moysi & Eliæ , & ex Evangelio , quia totidem diebus Dominus jejunavit. *Et paulo post.* In qua ergo parte anni congruentius observatio quadragesimæ constitueretur , nisi confini atque contiguâ Dominicæ passioni ? quia in eâ significatur hæc vita laboriosa , cui opus est continentia , &c.

Item in libro de fide ad Petrum (qui ab aliis S. Fulgentio adscribitur) c. 42. Firmissimè tene , & nullatenus dubites , omnem creaturam Dei bonam esse , & nihil rejiciendum , quod cum gratiarum actione percipitur : & Dei servos , qui à carnibus aut vino abstinent , non tanquam immunda , quæ à Deo facta sunt , respuere ; sed à fortiore cibo & potu pro solâ castigatione abstinere.

S. Chrysostomus , ad populum Antiochen. homil. 73. de sancta quadragesimæ jejunio ita scribit : Hæc nunc dico , non ut vestram contristem charitatem ; sed ut excitem , & persuadeam ,

deam, ne temerè corpus intendat je-
junio, nec inutiliter & incassum san-
ctæ dies quadragesimæ transcurrant.
Et quid dico, sanctæ dies quadrage-
simæ? cùm ne unum quidem diem
toto vitæ nostræ tempore nos transi-
gere liceat [si fieri potest] quo non
aliquid spiritualis lucri nobis repona-
mus, vel per orationem, vel per con-
fessionem, vel per beneficentiam, vel
per aliam spiritualem quampliam a-
ctionem.

X V I I I.

De Confessione & absolutione Sacerdotali.

S. Clemens Romanus Epist. 1. Quod si
fortè alicujus cor, vel livor, vel in-
fidelitas, vel aliquod malum ex his,
quæ superiùs memoravimus, laten-
ter irrepserit; non erubescat, qui a-
nimæ suæ curam gerit, confiteri hæc
huic, qui præest, ut ab ipso per ver-
bum Dei, & consilium salubre cure-
tur, quò possit integrâ fide, & ope-
ribus

ribus bonis pœnas æterni ignis effugere , & ad perpetuæ vitæ præmia pervenire.

*Lactantius l. 4. Divinarum institut.
c. 30. in fine* : Sola igitur Catholica Ecclesia est , quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis , hoc est domicilium fidei , hoc templum Dei ; quò si quis non intraverit , vel à quo si quis exiverit , à spe vitæ ac salutis æternæ alienus est. Neminem sibi oportet pertinaci concertatione blandiri : agitur enim de vita & salute ; cui nisi cautè & diligenter consulatur , amissa & extincta erit. Sed tamen quia singuli quique cætus hæreticorum , se potissimum christianos , & suam esse Catholicam Ecclesiam putant , sciendum est , illam esse veram , in qua est religio , NB confessio , & pœnitentia : quæ peccata & vulnera , quibus subjecta est imbecillitas carnis , salubriter curat.

S. Basilius in questionibus , sive regulis brevioribus , regula 229. Omnipotens

no in peccatorum confessione eadem ratio est , quæ etiam in apertione vitiōrum corporis. Ut igitur vitia corporis nequaquam quibusvis temerē homines aperiunt ; sed iis tantummodo , qui rationem , quā ea curanda sint , teneant : eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet , apud eos videlicet , qui ea possint curare.

Item regula 288. Necessariò iis peccata aperiri debent , quibus credita est dispensatio mysteriorum.

S. Augustinus lib. 2. de visitatione infirmorum c. 4.. Sunt quidam , qui sufficere sibi ad salutem autumant , si soli Deo [cui nihil occultum est , quem nullius latet conscientia] sua confitentur crimina. Nolunt enim , aut erubescunt , sive dedignantur ostendere se Sacerdotibus , quos tamen inter lepram & lepram discernere , per legislatorem constituit Dominus. Sed nolo , ut ipsā decipiaris opinione , quatenus confundaris confiteri co-

ram Domini Vicario , tabescens præ rubore , vel cervicosus præ indignatione : nam ipsius humiliter subeundum est judicium , quem Dominus sibi non deditur Vicarium. Ergo ad te venire roges Sacerdotem , & fac ipsum conscientiarum tuarum penitus participem.

Item homil. 49. Agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesiâ, ut orët pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat; occultè ago, apud Deum ago; novit Deus , qui mihi ignoscit , quia in corde ago. Ergo sine caussâ dictum est , quæ solveritis in terra , soluta erunt in cœlo ? Ergo sine caussâ sunt claves datæ Ecclesiæ Dei ? Frustramus Evangelium Dei ? frustramus verba Christi ?

X I X.

De signo Sanctæ Crucis.

Tertullianus de coronâ militis. Ad omnem progressum, atque promotum , ad omnem aditum & exitum,
ad

ad vestitum & calceatum , ad lava-
era, ad mensas , ad lumina , ad cu-
bilia , ad sedilia, quæcunque nos con-
versatio exercet , frontem crucis si-
gnaculo terimus. Harum & aliarum
eiusmodi disciplinarum si legem ex-
postulas scripturarum, nullam inve-
nies : traditio tibi prætenditur au-
etrix , consuetudo confirmatrix , &
fides observatrix.

*S. Cyrillus Hierosolymitanus Cate-
chesi 4. de ascensione.* Ne ergo Chri-
sti crucem erubescamus ; sed si quis
alius abscondat , tu palam ad fron-
tem obsignato , ut dæmones regium
signum intuentes , tremuli procul
auffugiant. Signo autem isto utere
tum edens ac bibens , tum sedens ac
cubans , de lecto surgens , loquens ,
ambulans , & ut semel dicam , in
omni re, omnique negotio.

*S. Athanasius lib. de incarnat. ver-
bi.* Signo Crucis omnia magica com-
pescuntur , beneficia inefficacia fiunt,
&c.

s.

S. Chrysostomus hom. 12. in 1. Corinth. 4. circa finem. A primis annis filios vestros spiritualibus armis muniat, & cruce frontem sibi signandam erudiatis ; & priusquam ipsi per se facere possint, vos id facite.

S. Ephrem. l. de Panoplia, sive armatura spirituali sub initium : Cœterū vice scuti, crucis signo te ipsum muni : signans eo membra tua omnia , & cor tuum. Neque verò sola manu te signes ; sed etiam animo, & studia tua, & ingressum tuum , & exitum tuum in omni tempore. Sessionem quoque tuam , & resurrectionem tuam , & lectulum tuum , & quæcunque , signa primùm in nomine Patris , & Filii , & Spiritus sancti. Validissima quippe ejusmodi armatura est; nullusque tibi unquam nocere poterit, si eâ munitus fueris, &c.

S. Augustinus tract 118. in Joan. ad finem.

finem. Quid est , quod omnes no-
verunt , signum Christi , nisi crux
Christi ? Quod signum nisi adhibe-
atur , sive frontibus credentium ; sive
ipsi aquæ , quâ regenerantur ; sive
oleo , quo chrismate unguntur ; si-
ve sacrificio , quo aluntur , nihil eo-
rum rite perficitur.

Item Sermone 181. de tempore c. 3.
Hoc enim signo Crucis consecratur
corpus dominicum , sanctificatur fons
baptismatis, initiantur etiam Presbyte-
ri & cæteri gradus Ecclesiastici ; & o-
mnia , quæcunque sanctificantur , hoc
signo dominicæ Crucis cum invoca-
tione Christi nominis consecrantur.

Laetantius l. 4. Divinarum institut.
c. 26. circa finem : extendit ergo in
passione manus suas , orbemque di-
mensus est ; ut jam tunc ostenderet,
ab' ortu solis usque ad occasum ma-
gnum populum ex omnibus linguis
& tribubus congregatum sub alas
suas

suas esse venturum , & NB. signum illud maximum atque sublime frontibus suis suscepturnum.

S. Basilius l. de Spiritu S. c. 27. Traditiones Apostolicas non scriptas in medium adducturus , inter alia sic scribit : ut signo crucis eos , qui spem collacrant in Christum , signemus , quis scripto docuit ?

S. Hieronymus ad Eustochium de custodia virginit. epist. 22. c. 16. Ad omnem actum , ad omnem incessum , manus pingat crucem.

Item in c. 9. Ezechielis : Antiquis , inquit , Hebraeorum literis extrema litera thau , crucis habet similitudinem , quæ in Christianorum frontibus pingitur , & frequenti manus inscriptio ne signatur.

F I N I S.

MOTIVA VERA ac SOLIDA,

Quibus

Per illustris ac Generosus Dominus

D. JOANNES

Liber Baro à RECK,
Dynasta in Drenstenfort &

Wölpendorff, &c.

convictus permotúsque est,

Ut

Ejurato Calvinio

Ad

Ecclesiæ Romano - Catholicæ

gremium se transtulerit

Die 30. Novembris

Anno 1651.



Monasterii Westphaliae

Ex Typographo Suæ Serenitatis Aulico

Anno MDCCXXII.

PRÆFATIÖ ad Lectorem.

Motiva hæc suomet calamo exaravit, qui libelli præcedentis auctor est, Perillustris ac Generosus Dominus JOANNES L.B. à RECK, Dynasta Steinfurtanus: eadémque Typis publicis evulgavit Anno 1651, cùm ejus rato Calvinus ad Ecclesiam Romano-Catholicam se reciperet. Utrumque Opusculum, tam prius quam posterius, statim ab incunabulis magno Catholicorum applausu exceptum est: priori tamen haud longè post etiam id honoris obtigit, ut ex germanico sermone, qui utriusque nativus fuerat, à quodam veritatis studio latine redditum, & Hannoveræ Anno 1674. Typis Schwendimannicis recusum sit. Oportuisset quidem eo tempore etiam hæc motiva, quæ Perillustris Auctor libello altero complexus erat, in latinum idioma vertere ac donare publico: sed quia ideadem occasione veteribusque Typis prætermissum est, suadet utilitas & boni communis amor, nunc saltem id efficere, cùm libellus prior secundis vicibus ad prælum curreret.

Itaque singulari sollicitudine huic labori manum addidi; eā tamen præfixa lege, ut in toto scriptionis decursu sensum potius quam verba Auctoris sequerer: & ideo non modò vocum ac Periodorum ordinem ex uno subinde loco in alium transtuli; sed etiam, ubi vel major claritas vel orationis latina fluxus vel rei demonstranda gravitas postulabat, pauca addidi, quæ eum in finem singulariter profutura censui. Hac monitione prævia versionem hanc tibi submissè porrigo Lector benevole, & ut fructum ex ea desideratissimum capias, ex animo precor.



§. I.

Motivum Imum.

Quia Ecclesia Romano - Catholica , est unica illa & visibilis Christi Ecclesia , quæ perennem & infallibilem Spiritus Sancti assistentiam habet.

Quemadmodum teste Apostolo ad Ephes. 4. v. 5. *U-nus duntaxat Dominus est, una Fides, unum Baptisma;* ita pariter communis omnium tam Catholicorum, quam * Acatholicorum doctrina est , unam duntaxat in terris veram Christi Ecclesiam esse, in qua salutem æternam possimus

F con-

* Luther. tom. 2. Wittenb. fol. 112. pag. 2.
in explic. symboli. Calvin. l. 4. instit.
c. 1. §. 2.

consequi. Unde & Sancti Patres Ecclesiam veram comparant arcæ Noëticæ, passimque solent dicere, quod, uti universalis cataclysmi tempore nemo hominum, extra hanc arcam positorum, in vivis conservari potuit; ita & hominum nemo animam suam ab æterno exitio subducturus sit, nisi ad veram & unicam Christi Ecclesiam se receperit. S. Cyprianus L. de unitate Ecclesiæ Catholicæ ita scribit: *Quisquis ab Ecclesia segregatus, adulteræ jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur: nec perveniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquam, qui extra arcam Noë fuit; etiam qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit.* Idem fatetur S. Augustinus tom. 9. l. 4. de symbolo ad Catechum. C. 13. ita loquens: *Si quis absque ea [Ecclesia] inventus fuerit, alienus erit à numero filio-*

filiorum : nec habebit Deum Patrem,
qui Ecclesiam noluerit habere matrem ;
nihilque ei valebit , quod credidit , vel
fecit tanta bona . Idem denique , ut
alios prætermittam , suo confirmavit
testimonio S. Fulgentius L. de Fide
ad Petrum Diaconum c. 37. ita mo-
nens : Firmissimè tene , & nullatenus
dubites , omnem extra Ecclesiam Ca-
tholicam baptizatum , participem fieri
non posse vitæ æternæ , si ante finem
vitæ hujus , Catholicæ non fuerit reddi-
tus atque incorporatus Ecclesiæ . Nam
& in diebus diluvii neminem legimus
extra arcam potuisse salvari . Addit e-
tiam c. 38. Hæreticos atque schismaticos ,
qui extra Ecclesiam Catholicam præsen-
tem finiunt vitam , in ignem æternum
ituros , qui paratus est diabola &
angelis ejus .

Hanc autem Ecclesiam Christi , ne-
cessitatem est , quovis tempore visibilem ,
neque ab humanis aspectibus remo-
tam esse ; ut cuilibet infidelium , si
ad inquirendam salutem suam assur-

gere velit , apertissima ad ipsam via
 & accessus pateat : quemadmodum
 vaticinatus est Isaias Propheta c. 2.
 v. 2. dicens : *Erit in novissimis die-
 bus præparatus mons Domus Domini in
 vertice montium , & elevabitur super
 colles : & fluent ad eum omnes gentes ,
 & ibunt populi multi , & dicent : ve-
 nite & ascendamus ad montem Domi-
 ni , & ad Domum Dei Jacob , & do-
 cebit nos vias suas , & ambulabimus
 in semitis ejus : quia de Sion exibit
 lex & verbum Domini de Jerusalem.*
 Certè veritas ista adeò clara & ma-
 nifesta est cuilibet , ut nemini planè,
 si rationis suæ lumen consulere velit ,
 ignota vel ambigua permanere possit .

Quid enim ? nónne Deus severissi-
 mo præcepto suo adstrinxit omnes ,
 non modò ad amplectendam fidem
 veram , *sinè qua impossibile est placere*
*Deo ; sed etiam ad ingrediendam Ec-
 clesiām veram , extra quam fides ve-
 ra deprehendi nequaquam potest ?*
 Testatur hoc Salvator ipse Matth. 18.

v. 17.

v. 17. dicens : *Si Ecclesiam non au-*
dierit , sit tibi sicut ethnicus & publi-
canus. Quin etiam Isaias Propheta
c. 60. v. 11. ubi Christum & ejus Ec-
clesiam digito suo monstrans , ita ca-
nit : *Aperientur portæ tuæ jugiter, die*
ac nocte non claudentur , ut afferatur
ad te fortitudo gentium , & reges ea-
rum adducantur : gens enim & regnum
(adverte comminationem huic præ-
cepto additam) *gens enim & regnum ,*
quod non servierit tibi , peribit. Jam
verò quomodo Ecclesiam quis audi-
re , vel ad ejus doctrinam auscultan-
dam tam gravi præcepto obligari po-
tuit , si ea nostros obtutus fugiat ?
imò , quod pejus est , si ante Luthe-
rum & Calvinum decem pene sæcu-
lis mundo extorris fuerit , aut peren-
nibus errorum tenebris obvoluta ?
quis pater familias unquam præcepit
servo , ut sub pœna fustigationis la-
boratum iret in vineam , aut agros
nusquam reperibiles ? quis prudens
Rex mortem comminatur subdito ,

nisi pugnet in legione vel acie , quæ ab humanis oculis subducta est ? an non omnes illi , qui ante hos Novatores tantâ sæculorum intercapedine periérunt ob defectum veræ fidei ; jure potuissent de Deo conqueri , eum vel infidelem fuisse , quòd Ecclesiam veræ fidei conservatricem interire passus fuerit ; vel immitem ac planè barbarum , quòd aliquos æternis incendiis addictos velit ob Ecclesiam fidemque non inventam , quæ pridem è terris fugerat ? Castigatius profetò hac in re judicium fuit sanctorum Patrum , inter quos Chrysostomus hom. 4. in illud Isaiæ 6. *Vidi Dominum : facilius est , inquit , solem extingui , quam Ecclesiam obscurari.*

Ex quibus omnibus manifesta & evidens consecutio est , quòd inter omnes congregations hominum , qui gloriantur se Christi esse , ea tantùm Ecclesia vera & à Christo instituta sit , quæ à primo Christianorum ævo semper in aperto fuit , & nunquam

quam sub inodio vel scanno latuit.
Hæc autem qualis & quænam est?
Lutherana forsitan, aut Calvinistica?
Nemo prudens id volet credere: cùm
vel ipsa Lutheranorum & Calvinista-
rum nomina novitatem præferant,
contradicant vetustati. Sanè, quem
Ecclesiæ Doctorem, quem Episco-
pum, quem Sacerdotem, & vel mini-
mæ alicujus communitatis præsidem
adducent mihi, qui modernam ipso-
rum doctrinam ante Lutheri Calvi-
níque cunas ex integro complexus
fuerit? Scio quidem, ab aliquibus
ad ostendendam Ecclesiæ suæ succe-
sionem in subsidium accersitos esse
hæreticos quosdam veteres cogno-
mento *Waldenses*; item Joannem
Huss, Hieronymum *Pragensem*, Jo-
annem *Wicleff*, & alios ejusdem fur-
furis, qui diversis pridem sæculis Ca-
tholicam veritatem impugnârunt, at-
que idcirco à diversis etiam Conciliis
manifestæ hæreseos condemnati sunt.
Verùm cùm Novatores isti neque Lu-

thero penitus, neque Calvinus in suis articulis consonent, ideoque & ab ipsis *Protestantibus* non unius erroris ac hæreseos insimulati sint; non video quid eorum perversa dogmata ad stabiliendam Lutheranismi aut Calvinismi successionem faciant: nisi quis velit, eos hoc uno duntaxat nomine inter egregios novarum Ecclesiærum propagatores accensendos esse, quod Ecclesiæ Romanæ, eadem, quam ipsis, pervicacia frontem suam opposuerint. Id autem quam absurdum ac planè exoticum sit, quis non videt? Hac enim ratione & Arrianos, & Nestorianos, & Manichæos, & Donatistas, & nescio quæ turpisissimum hæresiarcharum nomina in suæ successionis confortium advocare poterunt; haud aliâ cum illis cognatione juncti, quam quod omnes in arietanda Ecclesia Romana concordes fuerint. Et quare non avernum ipsum, qui à primis initiis Ecclesiæ Romanæ impugnator fuit, eodem jure

re in auxilium vocant ? quomodo
arcebunt Anabaptistas , Pietistas &
aliarum sectarum Principes , ne & ip-
si propaginem suam à Christo & A-
postolis derivatam comprobent , si à
solis Ecclesiæ Romanæ impugnatori-
bus legitima successionis linea deduci
possit ?

Supereft igitur, ut Religio & fides
vera nequaquam inter Lutheranos &
Calvinistas habitet, sed in Ecclesia Ca-
tholica tantùm : quam à Christi & A-
postolorum ævo semper in terris aspe-
ctabilem constitisse , tam clarum est
intellecfui non protervo, quam quod
clarissimum. Hæc enim ab uno Chri-
sti sæculo in aliud , ostendere semper
potest legitimos Pastores Doctorésq;
suos , qui in omnibus articulis Fidei
cum præsenti ejus doctrina accuratè
consonent : hæc longos Pontificum
Romanorum catalogos recensere , qui
B. Petro Christi in terris Vicario con-
stanter successerint : hæc denique in
Episcopatibus pene singulis Antistites
suos

suos longâ deducere virgâ , qui ab aliis
semper Episcopis consecrationem su-
am accepêre ; donec ad primos Apo-
stolos ascendendo postremùm sistatur
Christo. Quod certè argumentum
tam invictæ firmitatis esse B. Augustino
visum est , ut eo se maximè convinci,
& velut ineluctabili vinculo ad Eccle-
siam Romano - Catholicam astringi
dixerit. Ecce illius verba L. contra
Epistolam fundamenti C. 4. *Ut ergo,*
inquit ad Manichæos , *hanc omittam*
sapientiam , quam in Ecclesia esse Catho-
lica non creditis , multa sunt alia , quæ
in ejus gremio me justissimè teneant.
Tenet consensio popolorum , atque gen-
tium : tenet Auctoritas miraculis incho-
ata , spe nutrita , charitate aucta , vetu-
state firmata : Tenet NB. ab ipsa sede
Petri Apostoli , cui pascendas oves suas
post resurrectionem Dominus commen-
davit , usque ad præsentem Episcopatum
successio Sacerdotum. Oro te , qui-
cunque hunc locum attentè inspicis ;
potuitne aliquid clarius afferri vel
desi-

desiderari pro declaranda veritate Ecclesiae Catholicæ ?

An fortè respondebis mihi , eam à primis quidem initii genuinam Christi Ecclesiam fuisse ; postea verò succendentibus annis paulatim defecisse à sanctitate prima , & intollerandis contra fidem erroribus oppres- sam esse ? Scio , id nobis objici ab adversariis , ut aliquem suæ novitatis colorem habeant. Sed ô ! miserum te , si hujusmodi commentis fabulis- que anilibus fidem præbeas. Si enim Ecclesia Catholica semel fuerit Eccle- sia Christi vera & universalis , quo- modo inferorum portæ potuerunt eam vincere , ac dejicere penitus à fi- de prima ? cùm tamen id nunquam futurum esse promiserit Christus Mat. 16. v. 16. dicens : *Tu es Petrus , & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam , & portæ inferi non prævale- bunt adversus eam ? Quomodo infal- libilis assistentia Spiritus sancti ita po- tuit huic Ecclesiae subtrahi , ut à sede verita-*

veritatis in gravissimos errores & falsitates rueret ; cùm tamen ipsi à servatore nostro dictum fuerit Joan. 14.

v. 16. *Ego rogabo Patrem , & aliud Paraclitum dabit vobis , ut maneat vobiscum in æternum , Spiritum veritatis ? An fortè opinabimur , quòd mendacia quondam viderit ac vaticinatus sit Isaias Propheta c. 59. v. 21. ubi Messiam & ejus Ecclesiam in Spítu suo prævidens , ità cecinit : Hoc est fædus meum cum eis dicit Dominus : Spiritus meus , qui est in te , & verba mea , quæ posui in ore tuo , non recedent de ore tuo , & de ore seminis tui , & de ore seminis seminis tui , amodo & usque in sempiternum ? An falsitatem aliquam affricabimus veritati incarnatæ , quæ fidem veram à Petro & ejus Eccllesia ac successoribus recessuram non esse , apertissimè docuit Luc. 22. v. 31. dicens : Simon , Simon ! ecce Sathanas expetivit vos , ut cribraret sicut triticum : ego autem rogavi pro te , ut non deficiat fides tua.*

Absit,

Absit, ut ad has infanias abripiat nos
præpostera lubido Lutherum Calvi-
nūmque defendendi ! dixerint illi :
Ecclesia Catholica & universalis in
errores lapsa est : venite ad nos &
reformemini ! Ego potius cum Au-
gustino dicam epist. 165. ad genero-
sum : *Si tibi Angelus de cœlo diceret,*
dimitte Christianitatem orbis terræ, &
tene partes Donati (idem est de Lu-
thero, Calvinō & similibus) *anathe-*
ma esse deberet, quia te à toto præci-
dere, & in partem contrudere conare-
tur. Si enim ordo Episcoporum sibi
succedentium considerandus est ; quan-
tò certius & verè salubriter ab ipso Pe-
tro numeramus , cui totius Ecclesiae cu-
ram gerenti Dominus ait : super hanc
petram ædificabo Ecclesiam meam , &
portæ inferi non vincent eam ? Petro
enim successit Linus , Lino Clemens ,
Clementi Anacletus , Anacleto Evari-
stus , Evaristo Alexander , Alexandro
Sixtus , Sixto Telesphorus &c.

§ 2dus.

§ 2dus.

Motivum secundum.

Qui alienissimum à vero est,
quod Novatores docent, Scripturam
sacram in omnibus articulis Fidei
claram & evidentem esse.

Lutherani, Reformati, & alii No-
vatores passim clamitant, Scri-
pturam sacram in articulis fidei ad sa-
lutem necessariis tantæ claritatis esse,
ut nemini difficile sit, illius sensum
& intelligentiam legendο & inspici-
endo assequi. Hoc autem quām alie-
num à vero sit, quis non videt, nisi
mente ac sensu careat? Si enim Li-
teræ sacræ tantam ubique evidenti-
am præ se ferant; cur igitur inter par-
tes hinc inde dissidentes tam infini-
tæ altercationes & jurgia de vero sin-
ceroque earum sensu? cur una pars
tam abominandas hæreses, errores,
hallucinationes appingit alteri, & id-
circo eam condemnat, Anathemati-
zat,

zat, execratur? cur Prædicantes Acatholici tam innumeris explanationum & commentariorum lucubrationibus vulgus indoctum obruunt, & fatigant lacerantque semet ipsos? cur non potius è Scripturis judicio suo tam evidentibus breve compendium extrahunt omnium credendorum, cui omnes Acatholici ubivis acquiescere, & unanimem consensum in cunctis urbibus ac Provinciis suis præbere debeant?

Operæ pretium non est in illa falsitate repudianda plus temporis & atramenti perdere. Inspiciat, cui lubet, historias primorum Ecclesiæ temporum, quæ ferè nunquam ab assiduis diversissimisque hæreticorum impugnationibus fuere libera. Cogitet Arrium, Nestorium, Eutychetem, Dionysorum, Paulum Samosatenum, Pelagium & alios longè plurimos: quisquámne fuit istorum omnium, qui hæreticum virus suum non deprompsferit ex aliquo scripturæ loco malè

ac

ac perperam intellecto? Et quomodo potuerunt eam tam sinistro sensu in suos errores trahere, si tam clara & perspicua sit ubique, ut interprete vel explicatore probo nusquam egeat? Aliud certe judicium fuit B. Petri Apostolorum Principis: nam 2. Petr. 3. v. 16. apertissimè confitetur in epistolis B. Pauli Coapostoli sui esse quædam difficultia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.

Ecce! ut supremus iste Apostolus plura in iisdem literis affirmat esse obscura ac difficultia intellectu: cum contra Lutheranus aliquis aut Calvinista prædicans ausit dicere in rebus Fidei nihil in iisdem literis obscurum ac minus perspicuum esse: utri credemus?

Eadem difficultas etiam reperitur in scripturis cæteris, quarum explicatio si cuilibet adeò expedita sit, uti prætenditur ab adversariis; qui tandem fieri potuit, ut errores hæresesque

que tam innumeræ Christianus or-
bis hucusque viderit? Ecce! hæc pau-
ca verba Matth. 26. *Accipite & come-
dite, hoc est corpus meum:* quid illis
clarious, magisque ad æternam salutem
faciens? & tamen in iis, explicandis
dicam, an distorquendis? quanta li-
brorum & commentariorum plausta
intra centum & amplius annos ab istis
Novatoribus protrusa sunt, in quibus
alter ab altero gravissimè dissidet, &
alios ex aliis errores flectit? Neque
id mirum sanè: cùm enim totus ille
sectorum grex visibili in terris ca-
pite destitutus sit, neque certum
agnoscat Judicem, qui de hujusmodi
controversiis infallibile judicium fe-
rat; necesse est, ut innumeræ naſcan-
tur hæreses: dum pro suo quisque ce-
rebro suam ſibi doctrinam è Scriptu-
ris malè perceptis fabricat, neque ad
certam aliquam docendi & explican-
di regulam ſe adstringi patitur, ut in
ſequenti motivo prolixiūs deduc-
tur.

G

§. 3tius.***Motivum tertium.***

Quia Novatores Scripturam sa-
cram pro suo tantum cerebro , non
juxta SS. Patrum & Conciliorum doctri-
nam explicant ; ideoque in varios
errores ac dissensiones mutuas
incidere debent.

PAlam est , innumeras propè hæ-
 reses intra unum alterūmve sæcu-
 lum in terras prosiliisse : & plures for-
 sitan etiamnum partui vicinæ sunt ;
 quæ tamen omnes doctrinam suam
 in scripturis Divinis unicè fundatam
 asserunt , etiamsi à se invicem longis-
 simis intervallis distent . *Honoratus*
Reggius Kennathensis libro de statu ho-
diero Ecclesiæ Britannicæ , recenset pro-
 pè centum & octoginta hæreses ac
 propositiones detestabiles , quæ hodie
 à sectis diversissimis velut articuli fidei
 teneantur in regno Angliæ . Lutherani
 & Calvinistæ , quantum inter se dissi-
 deant ,

deant ; & implacabili odio se invicem persequantur ; nimis quam aperatum, literisque publicis manifestum est. Lutherus ipse Tom. 8 Jen. coram Deo & orbe toto contestatur de Calvinis asseclis : nullum sibi commercium esse , nec unquam fore cum Sacramentariis istis , utpote qui venenatâ doctrinâ suâ Christianas animas suffurentur Christo , easque seducant , & miserè contruident. Neque vel hilo mitius contra eosdem procedunt Lutherani alii , è quorum numero Conradus Schlüsselburgius in dedicatione alicujus libri , quem Theologiam Calvinisticam vocat , prolixè conatur ostendere , eos non ex Deo , sed ex patre Diabolo prognatos esse. E contra Calvinistæ eodem lrixio perluunt omnes Lutheri asseclas , uti videre est apud Jodocum Coccium , Tom. I. *Thesauri Catholici* , L. 8. art. 10. § 2. à pag. 1090. Mihi hoc loco satis est , eam in rem adducere ipsiusmet Calvini verba , qui

G. 2

in

in admonition. ad Joachimum Westphalum Superintendentem Hamburgensem egregiis planè laudibus Lutheranos extulit, dum eos vocat * *homines vertiginosos, Cyclopes, superbam Gigantum factionem, bestias, phreneticos, latratores, qui sola morositate inducti Ecclesiam Dei conturbant.*

Quid, quòd & ipfi Lutherani inter se gravissimas in rebus Fidei dissensiones foveant; & jam sœpius tam in bello suo *Ubiquistico*, quam in aliis hujusmodi controversiis orbi universo palam fecerint, nullam unitatis & concordiae guttulam exspectari ab iis posse, qui ab Ecclesia Catholica discessionem faciunt? Testis est mihi Nicolaus Selneccerus, qui in Psalm. 131 de dissensionibus inter confratres suos Lutheranos excitatis ita scribit: *Exortæ sunt inter nos altercationes ac dissidia quædam de bonis operibus, de justitia coram Deo, de libero arbitrio, de præsentia ac sumptu corporis & sanguinis Christi in Eu-*

* pag. 277. 309. 314. 317. 283. chari-

charistia, de Humanitate & ascensio
Christi in cœlos, de fessione ejus ad
dexteram Patris, de ubiquitate, & aliis
pluribus. Ibi rixandi neque finis est,
neque modus ullus : quilibet in hoc la-
borat, ut justam habere causam videa-
tur, atque alium opprimat : & quis-
quis aliquid novi proferre potest, unde
nomen accupetur, id facit libere, ne-
que ullam censoris infesti virgulam re-
formidat. Eadem ferme querimonia
est Nicolai Gallii Superintendentis
Lutherani in urbe Ratisbona ; qui in
suis Thesibus & Hypothesibus editis
folio ultimo ita de suis Collegis lo-
quitur : Non sunt utique parva inter
nos dissidia, neque de minutis rebus ;
sed de sublimibus articalis doctrinæ
Christianæ, de lege & Evangelio, de
justificatione & bonis operibus, de Sa-
cramentis & Cæmoniarum usu, quæ
NB nullo modo componi possunt.

Cur autem nullo modo componi pos-
sunt hæc dissidia ? cur dissidentes animi
in veram concordiam pacemque nul-

latenus revocari ? Certè non alia ex causa , quām quia unusquisque horum pro suo cerebro & ingenio sacram Scripturam explicat , neque ad universalis Ecclesiæ & sanctorum Patrum aut Conciliorum declarationes novaturientem calamum adstringi patitur : Unde & ipse Lutherus libro contra Zwinglium & Oecolampadium ingenuè confiteri debuit : Se suosque propter absurdissimas , quas sibi jam quisque fabricat , Scripturarum sacrarum explicationes , tandem eò necessitatis redactum iri ; ut , si orbis hic plurimis adhuc annis à futuro excidio immunis fuerit , sacrorum Conciliorum Decreta unitatis & concordiae causâ iterum admittenda , atque in universalem praxin reducenda sint . Sapientissimum profectò consilium , & verè ejusmodi , quo admisso omnis Religionum contrariarum dissensio consopiri ; quo rejecto nulla conscientiarum pax & securitas obtineri ab homine suæ salutis studioso possit . Quid enim

enim intutius, & erroris periculo ma-
gis obnoxium, quam in illa Ecclesia
anchoram suæ salutis figere, quæ
suorummet Theologorum judicio in
sacrarum Scripturarum explicatione
infallibilis non est, nec falli nescia,
ut de Ecclesiis suis fateri debent
Doctores Acatholici? Quis in ea
doctrinarum fallibilitate certitudinem
præstabit mihi, utra pars in expla-
natione sacrorum Textuum, animos
oculosque defæcatores habeat: eâne
quæ Lutherum; an verò quæ Calvi-
num sequitur? Quomodo in ista cre-
dendi, sentiendi, & interpretandi li-
bertate elicere, aut imperare mihi po-
tero verum assensum Fidei Divinæ;
qui ex omnium Theologorum con-
sensu debet esse firmissimus super
omnia, & excludere omne prudens
dubium ac formidinem de opposito?
Ego nullam ex hisce dubiis evadendi
viam invenio, quam si in omnibus
Fidei controversiis, Ecclesiæ Roma-
no-Catholicæ judicio me submittam:

G 4

quip-

quippe quæ per orbem universum exactissimam in rebus credendis unitatem servat ; perpetuam quoque Spītūs sancti assistentiam obtinet , & ideo in sacrarum Scripturarum sensu declarando nec falli unquam potest, nec fallere.

At oggerit mihi hīc aliquis , & interrogat , an Ecclesia Catholica non doceat , quòd verbum Dei sine constitutionum humanarum adminiculo planè imperfectum sit , & omnes Ecclesiæ nostræ traditiones parem cum Dei verbo auctoritatem habeant ? Huic ego paucis respondeo , calumniam hanc esse , quam hæretici pro consueta maledicendi licentia Catholice appinxere. Nos aliud Dei verbum non admittimus , nec aliquid parem cum illo auctoritatem obtinens ; quām ea duntaxat omnia , quæ Deus in utroque testamento locutus est per ora Prophetarum & Apostolorum , sive Scripta illa sint , sive non sint . Quis autem inficiabitur ,

tur, hæc omnia firmissimam à nobis fidem & assensum poscere ? An forte potuit æterna veritas mentiri magis in iis dogmatis, quæ ab ejus ore profecta sunt, & nullis unquam chartis tradita ; quam quæ factis inserta voluminibus in omnium oculos & aspectum incidunt ? Absit, ut hujusmodi blasphemiae nobis in mentem veniant ! Verbum enim Dei, sive illud in tabulis publicis exaratum sit, sive alio sufficiente modo fidelibus animis promulgatum, æquali semper assensu dignum est. Ut autem hac in re Catholicorum doctrina paulò clarius discernatur, magnum ipsi discrimen statuunt inter traditiones divinas, & inter constitutiones merè Ecclesiasticas. Illæ continent veram doctrinam fidei, vel Apostolis à Christo traditam, vel iisdem à Spiritu sancto instillatam : quæ deinde solius vocis ac traditionis adminiculo ad eorum Successores, & ab his iterum usque ad nos continuâ institu-

tionum serie permanavit. Hæ verò nihil aliud continent , quām statuta quædam & præceptiones , quas Ecclesia Catholica pro rerum temporumque exigentia, vel ad fidelium suorum ædificationem , vel ad regiminis bene ordinati custodiam paulatim introduxit. Illæ non minori auctoritate pollut , quām Scripturæ sacræ ; & ideo parem cum istis assensum exigunt. Hæ verò , tametsi observari debeant ex mandato Dei , qui Ecclesiam audire præcipit ; cum Scripturis tamen sacris ac traditionibus divinis nullatenus exæquandæ sunt : quin etiam pro conditione personarum ac diversitate casuum ab Ecclesia immutari, aboliri, augeri, ac minui possunt ; cùm tamen nihil simile fieri queat in verbo Dei sive scripto , sive tradito.



§ 4tus.

§ 4tus.

Motivum quartum.

Quia Novatores non admittunt verbum Dei traditum ; ideoque certi non sunt , hæc sacra Biblia , quibus omnis eorum fides nititur , esse purum atque incorruptum verbum Dei .

Commune est hodiernis Novatianis , extra Scripturam sacram nullum aliud Dei verbum admittere ; & ideo traditionibus , quocunque nomine vocitatis , fidem non adstruere . Doctrinam hanc velut hæreditario jure sibi transcriptam accepere ab Arrianis , Macedonianis , Eutychianis , Pelagianis , & aliis antiquorum temporum hæreticis : cum quibus Novatores isti societatem erroris inire malunt , quam sinceræ veritatis cum Catholicis . Quid enim clarius ac magis perspicuum est homini Christiano , quam quod Apostolis plurima vel à Christo dicta , vel à Spiritu sancto

do instillata sint , quæ tamen ab iis-
dem Apostolis nunquam in chartas
missa , nec in sacris , ut vocant , bi-
bliis comprehensa sunt ? Nonne di-
scipulus ille , quem diligebat Jesus ,
apertissimè dixit Joan. ultimo : *Sunt
autem & alia multa , quæ fecit Jesus ;
quæ , si scribantur per singula , nec
ipsum arbitror mundum capere posse eos ,
qui scribendi sunt , libros .* Nonne
egregius ille gentium Doctor Paulus
2. ad Tim. 2. inquit : *Tu ergo , Fili
mi , confortare in gratia , quæ est in
Christo Iesu ; & quæ NB audisti à me per
multos testes , hæc commenda fidelibus
hominibus , qui idonei erunt & alios
docere ? Hæc autem , quæ tali mo-
do Apostolis tradita , & nuspiam in
sacras literas redacta sunt , dicuntur
à Catholicis verbum Dei traditum ;
& ideo non minorem à nobis fidem
exigunt , quam quæ ab Apostolis exa-
rata , & in sacris voluminibus com-
prehensa sunt. Ita nos docet idem
Apostolus 2. ad Thessal. 2. v. 14. di-
cens :*

cens: Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis NB sive per sermonem, sive per epistolam nostram. In quem locum S. Chrysostomus ita scribit: Hinc patet, quod non omnia per epistolam tradiderint Apostoli; sed multa etiam sine literis: eadem vero fide digna sunt tam illa, quam ista. Itaque traditionem quoque Ecclesiæ fide dignam putamus: traditio est, nihil queras amplius.

Supervacancum est, veritatem hanc fusiūs confirmare adductis Patrum sanctorum textibus, quorum ingens multitudo videri potest apud Bellarminum Tom. I. Controversiarum l.

4. C. 7. Id unum hoc in loco instituti ac propositi mei est, ut ostendam, omnibus hujusmodi Novatorum asseclis nullam de rebus à se creditis certitudinem esse, nisi præter scripturam sacram admittere simul velint verbum aliquod à Deo traditum. Id autem breviter sic demonstro: omnis Calvinistarum ac Lutheranorum fides, ut
-10201
ipſi

ipſi aſſerunt, fundatur unicè in ſacris
Bibliois; & ideo ſi de horum ſincerita-
te nullam certitudinem habeant, e-
tiam non habent eam de rebus à ſe
creditis. Id mihi, ut opinor, facile
concedet prudentūm quilibet, cùm ſit
ipsā luce & Sole meridiano clarius.
Eam igitur certitudinem de ſacrorum
Bibliorum verbique ſcripti ſinceritate
undenam & quo ex fonte haurire po-
ſunt ipſimēt Acatholici, niſi ex verbo
Dei tradito? Certum eſt, quòd aliun-
de nuspiam. Etiamsi enim ſcriptura
afferat, Apostolorum ac Prophetarum
libros in codicibus Divinis repu-
tandos eſſe; huic tamen aſſertioni
 firma fides adhiberi nequaquam po-
tent, niſi oſtendatur inſuper, Scriptu-
ram hanc, quæ iſtud aſſerit, eſſe ve-
rum ac infallibile verbum Dei. Id
autem ex quo principio oſtendi po-
terit, præterquam ex verbo Dei tra-
dito? an forte ex ipſa iſtius libri in-
ſcriptione, quæ eundem Biblia ſacra,
& ſanctum Iefu Christi Evangelium
nomi-

nominat? Verum & hanc inscriptio-
nem, si aliud veritatis præsidium non
adferatur, de se fallibilem, & alicui
falsitati obnoxiam esse posse, nemo
non videt: nam & alius impostor a-
liquis libello à se conscripto titulum
hunc adsciscere posset, & ipse Maho-
metanorum Alcoranus librum se divi-
num vocitat: neque tamen idcirco
Christianorum aliquis vel huic Alco-
rano vel istius impostoris libello cre-
det, hoc esse verbum Dei. Supereft
igitur, ut confiteamur de sacrarum
scripturarum existentia & sinceritate
haud aliam nobis certitudinem esse,
quam ex verbo Dei tradito, hoc est,
ex perpetua & constanti traditione
Ecclesiæ Catholicæ, quæ est colu-
mna & firmamentum veritatis. Un-
de & ipse Augustinus Tom. 5. L. con-
tra Epistolam fundamenti c. 5. ita in-
quit: *Ego vero Evangelio non crede-
rem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ com-
moveret auctoritas.*

Quid autem ad hæc adversarii no-
stri?

stri? Brentius in prologomenis, cùm ex hoc argumento nullum inveniret exitum; ingenuè tandem confitetur, hunc articulum fidei, quo certissimè credimus, scripturam hanc sacram esse verum ac infallibile verbum Dei, ex alio Dei verbo stabiliri non posse, quàm ex sola traditione Ecclesiæ: ita tamen, ut præter hanc traditionem unicam nulla alia, velut verbum Dei non scriptum, admittenda sit. Idem facit Kemnititis in examine Concilii Tridentini, asserítq; traditionem hanc libenter à Lutheranis recipi; præsertim cùm Romana Ecclesia ab ipsomet Luthero fida factorum bibliorum conservatrix appellata fuerit. Verùm si ita est; cur ergo passim Novatores clamitant, omnem Fidei doctrinam contineri unicè in sacris literis, neque aliud verbum Dei præter illas recipendum esse? Cur & aliæ traditiones doctrinæque Apostolicæ non potuerunt ad nos transmitti eâdem viâ & infallibilitate, quâ scripturæ sacræ per Ecclesiam

clesiam ad nos transmissæ sunt? Cur
in iis rejiciendis potius cum Arrio,
Macedonio, Eutychete & Pelagio fa-
ciunt, quām in recipiendis cum Eccle-
sia Romana & Apostolo Paulo supe-
riùs inculcante: *Fratres state, & te-*
nete traditiones, quas didicistis sive
per sermonem, sive per Epistolam no-
stram? Profectò longè salubriùs aetu-
ri essent, si ita argumentarentur se-
cum: vel Ecclesia Romana falli potuit
in vera sinceráque sacrorum Bibliorum
traditione, vel non potuit in ea falli?
si potuit; ergo de sinceritate sacrarum
scripturarum planè incerti sumus,
adeoque etiam incerta est fides no-
stra, quæ his innititur. Si non potuit;
ergo sicuti doctrinam hanc Apostoli-
cam, quâ docemur hæc esse vera Bi-
blia, nobis omnino puram ac illiba-
tam tradidit; sic etiam alias Aposto-
lorum doctrinas, ab eodem Spiritu san-
cto instillatas, absque erroris periculo
ad nos transmittere potuit. *Quæ e-*
nim hic dispar ratio?

H

§. stus.

§. 5tus.

Motivum quintum.

Quia sola Ecclesia Catholica
damnavit omnes hæreses; & soli Sa-
cerdotes Catholici innumeræ gentes ad
Christi Fidem converterunt.

Priusquam Lutherus & Calvinus
 infelice partu in cunas projecti es-
 sent, innumeræ jam pridem hæreses in
 orbem Christianum profilierant: &
 quis attrivit vel oppressit illas, nisi
 sola Antistitutum Catholicorum Con-
 cilia, quibus Romani Pontifices per
 se vel alios præsedere? Innumeræ eti-
 am gentes ante adventum utriusque
 Novatoris ad Religionem Christia-
 nam conversæ sunt: & quis eas lau-
 dabili prædicatione sua ad Christum
 & illius agnitionem traxit, nisi soli
 Sacerdotes Romano-Catholici; quo-
 rum indefessus labor quâvis ætate lau-
 datissimus, & nunquam perpetuâ mi-
 raculorum gloriâ destitutus fuit? No-
 tissi-

tissimum est, progenitores nostros in hisce partibus, cùm adhuc octavo fæculo profundissimis idololatriæ & Paganismi tenebris immersi essent, à Carolo magno feliciter subjugatos, atque ad Fidem Christi perductos esse. Quibus autem operariis ad eorum conversionem usus est glorioissimus Imperator iste, nisi solis Episcopis ac Presbyteris Romano-Catholicis: è quorum numero S. Ludgerus Monasterii, S. Hadumarius Paderbornæ, S. Wiho Osnabrugii, S. Hercumbertus Mindæ, alii in aliis locis cum Episcopali titulo constituti, innumeras animas è Paganismo ad Ecclesiam Catholicam reduxèt? Ubi tunc Lutheranus prædicans? ubi Calvinista & modernorum Novatorum aliquis, quorum infelicia Noimina adhuc ipsis Dæmonum infernum nominibus ignotiora erant? Nónne temporibus istis errat eadem, quæ modò est, Ecclesia Romanæ forma? Nónne Episcopi Supremo Pontifici, velut Christi Vicario

cario, subditi ? Nónne Sacerdotes à
solis Episcopis ac Præsulibus suis con-
secrati ? Nónne Sacrificium Missæ ,
invocatio Sanctorum , Veneratio sa-
crarum Reliquiarum , & aliæ hujus-
modi , quæ velut idolatria Papistica
à modernis Novatoribus traducuntur,
& insolentis linguæ flagellum senti-
unt? Erant utique omnia ista , ut ex
omnium historiarum fide ostendi po-
test. Quæro igitur, an iidem progeni-
tores nostri, cùm in fine octavi sæculi
à Paganismo ad Catholicam Religio-
nem conversi sunt , salutem sempiter-
nam in ea consequi potuerint , an ve-
rò non ? *si affirmas* ; concedendum e-
rit pariter , etiam Catholicos nostro-
rum temporum in ea salvari posse:
quia fides Romano - Catholica jam
nihil docet , quod Ecclesia istius tem-
poris non docuerit , præsertim quo ad
illa , quæ ab Adversariis nostris idolo-
latriæ ac superstitionis insimulata sunt.
Si autem inficiaberis , O ! te fatuum
ac planè inficetum , qui tam piis ac
devo-

deyotis progenitoribus tuis ab ævo
Caroli Magni usque ad Lutheri Cal-
vinique tempora spem omnem salutis
abnūis ! Nihil ergo singularis beneficij
à Deo consecuti sunt , quando Sacer-
dotum istorum instructione à paganis-
mo suo ad Ecclesiam Romano - Ca-
tholicam transiere ? Nihil gratitudi-
nis & gratiarum actionis debuerunt
Deo maximo pro conversione tali ,
quâ nihil aliud apud ipsos effici pote-
rat , quâm quòd ab una idolatria de-
ducerentur in aliam , ipsis etiam Ju-
dæis detestabilem : prô ! quæ blasphe-
miæ ? quod novum maledicendi ge-
nus ab hoc novo Theologorum cœtu
miserè coagmentatum ?

Audio quidem ab aliquibus respon-
deri , progenitores nostros à paganis-
mo reduces , in Papatu reperisse Evan-
gelia Dominicalia , Orationem Domi-
nicam , Symbolum Apostolorum , ac
decem Præcepta Decalogi : hæc autem
quatuor ab illis simplicissimè teneri ,
cœteras Papatûs Romani supersticio-

H 3 nes

nes rejici, atque ita salutem æternam
obtineri potuisse. Verùm quis non in-
telligit, hæc esse merissima ipsorum
commenta, & animi gravioribus ar-
gumentis pressi misera effugia? Nónne
Fides ex auditu, uti docet Apostolus
ad Rom. 10. v. 17? Quomodo igitur
inculti illi ac rudes Ethnici, quibus
aliunde nihil constabat de religione
Catholica & doctrina Evangelica, tam
subitò potuerunt aliter credere, quàm
à suis Episcopis ac Sacerdotibus edo-
cti essent? Quomodo tam repente po-
terant Doctoribus suis doctiores esse,
multóque melius, ac illi, è Scripturis
Divinis dijudicare, quid rectum? quid
sinistrum? quid idololatriæ ac super-
stitioni obnoxium, vel non obnoxium
esse possit?

Demus tamen, aut potius transmit-
tamus, paucos aliquos ex illis con-
versis Ethnicis tam perspicaces fuisse,
ut ad solum Evangelium, Orationem
Dominicam, Symbolum Apostolo-
rum, ac decem præcepta Decalogi fi-
dem

H

dem suam adstrinxerint; batque ita
novo quodam nec sibi tradito pugnan-
do genere cœlorum postes perfrege-
rint, abjectâ, si superis placet, Ro-
mani Papatûs idololatriâ: jam ite-
rûm recurrit quæstio, an Episcopi &
Sacerdotes illi, per quos iidem Eth-
nici fidem Catholicam recepêre, in
illo Papatu suo ad beata cœlorum
atria pervenire potuerint, nec ne?
Si neges, eos ad cœlum potuisse
transgredi propter idololatriam ab
ipsis commissam in sacrificio missæ,
invocatione sanctorum, veneratione
Reliquiarum, & aliis similibus: ergo
sanctus Ludgerus, qui Monasterii;
S. Hadumarius, qui Paderbornæ;
S. Wiho, qui Osnabrigi; S. Her-
cumbertus, qui Mindæ; alii primi
sanctissimique Episcopi; qui in aliis
nostræ Saxoniæ locis Evangelium tra-
didere, ad æterna tartara deturbati
sunt, nec aliud indefessi laboris pre-
tium consecuti, quam quoddam miseros
Progenitores nostros à Dœmonio

Ethnico ad alium , uti vocant, Anti-christicum Dæmonem adducere vi-si sint. Quis hominum tam horren-das blasphemias ferat ? Cui non do-leant ambæ aures , si talia dici audi-at de viris adeò sanctis , quorum plu-ri mi exquisitæ sanctitati suæ etiam im-mortales Martyrii laureas adjunxerè? Si autem affirmaverit , Episcopos & Sacerdotes illos ad æterna cœlorum atria proiectos esse ; neque eorum saluti aut sanctitati quidquam obsti-tisse invocationem Sanctorum & ce-lebrata missarum sacrificia : iterum ir-refragabili argumento te constrictum teneo , & evidenter infero , quemlibet Christianum , non attentis iis do-trinarum nostrarum punctis , quibus moderni Novatores idolatriæ ac su-perstitionis notam allinunt , æternis cœlorum sedibus in religione Roma-no-Catholica potiri posse. Quod enim in illis vacabat vitio , etiam in nobis vitiosum esse non debebit.

§ 6tus.

§. 6tus.

Motivum sextum.

Quia primi novarum Ecclesiarum fundatores non modò fuerunt homines arrogantissimi ; sed etiam docuerunt plurima blasphemiae & offendiculorum plena.

ABarrogantia Martini Lutheri initium facio. Quid insolentius , quām quōd superbissimus ille thraſo supra omnes Ecclesiæ Doctores semetipsum efferat , prædicetque tom̄o 6. Wittemb. fol. 320. pag. 1. Se esse Evangelistam Domini nostri Iesu Christi ? tom. 2. Wittemb. fol. 554. pag. 2. Se esse verum certissimumque Prophetam ? tom. 6. Wittemb. fol. 450. pag. 1. Se esse vivum sanctum ? tom. 4. Wittemb. germ. fol. 475. pag. 2. Se esse Doctorem supra omnes Doctores in toto Papatu ? ubi addit cum ingenti & audacissimo supercilio : Doctor Martinus Lutherus ita vult , & ait , Papi-

H 5 stans

stam & asinum, unum ac idem esse.
 Quid intolerabilius, quam quod tom.
 2. Jen. germ. fol. 214. pag. 1. ad Do-
 minos ordinis Teutonici ita scribat :
*Si contingere, ut unum, duo, vel
 plura etiam Concilia statuerent, posse
 Ecclesiasticos vel Sacerdotes matrimoni-
 um contrahere; tum eisdem mallem
 connivere, gratiamque Dei adpromit-
 tere illi, qui tota vita suâ unam, du-
 as, vel tres meretrices haberet, quam
 illi, qui legitimam uxorem duceret jux-
 ta talium Conciliorum decretum.*

Eodem ferè passu ac insolentiâ pro-
 cedit in suis voluminibus Joannes Cal-
 vinus. Nam in Epistola dedicatoria
 suarum institutionum, ad Franciscum
 Galliarum Regem ita loquitur de se
 ipso : *Nos quidem, quam pauperculi
 simus & abjecti homunciones, probè no-
 bis consciî sumus. Sed doctrinam no-
 stram, supra omnem mundi gloriam,
 sublimem; supra omnem potestatem, in-
 victam stare oportet : quia non nostra
 est, sed Dei viventis ac Christi ejus,
 quem*

Pater Regem constituit , ut à mari usque ad mare dominetur , & à fluminibus usque ad terminos orbis terrarum . De sanctis Patribus in eadem Epistola dedicatoria ita scribit : *Sic tamen in eorum scriptis versamur , ut semper meminerimus omnia nostra esse , quæ nobis serviant ; nos autem unius Christi , cui per omnia sine exceptione parendum sit.* Hunc delectum qui non tenet , nihil in religione constitutum habebit . quando multa ignorant sancti viri illi . Et libro 2do institutum , cap. 7. § 5. *Quod impossibilem legis observationem diximus , solet vulgo absurdissima sententia vide ri ; ut Hieronymus non dubitarit , anathema illi denunciare.* *Quid visum sit Hieronymo , uihil moror : nos quid verum sit , inquiramus.* De Conciliis denique , Pastoribus , & Prælatis Ecclesiæ ita per contemptum blaterat l. 4. instit. c. 9. § 12. *Cœci quique duces , sive Antistites , sive Præfules , sive Pontifices dicantur , nihil possunt ,*

quām

quàm suos confortes in idem rapere præcipitum. Quare nulla Conciliorum, Pastorum, Episcoporum nomina nos impedian, quo minus & verborum & rerum documentis moniti, omnes omnium spiritus ad divini verbi regulam exigamus, quò probemus, num ex Deo sint. Ecce ut fastuosum illud caput, & supra mensuram humanæ superbiæ tumens, Doctores omnes infra se despiciat, nullámque aliam veritatis regulam admittere velit, quàm Scripturam sacram, suo superbientis ingenio malè intellectam?

Videamus porrò, quænam excellentes doctrinæ è ventosis illis amborum capitibus & cerebellis fluxerint? Quàm lutulenta & omnis offendiculi plena fuerit Lutheri doctrina; clamant omnes illius tomī, prælo ac Typis dati, ex quibus tantùm pauca hīc adducere, pro experimento satīs erit. Tomo 7. Wittemb. fol. 61. pag. 2. docet, *Præcepta Divina à nemine observari posse:* & ibidem fol. 128. ac sequentibus,

tibus, hominem probum quovis opere
bono peccare, & omnia ejus opera bona
peccatum esse. Tom. 6. Wittemb. fol.
446. pag. 2. docet, eum, qui credit,
non posse in peccatum labi : & fol.
447. pag. 1. Nullum amplius in hoc mun-
do peccatum esse, præter solam infidelita-
tem. Tom. 7. Wittenb. in sermone
de novo Testamento inquit : *cavea-
mus à peccatis, maximè verò ab operi-
bus bonis ; unicéque attendamus ad pro-
missionem Dei & Fidem.* Quantò sce-
leratior es, tantò citius suam Deus gra-
tiam infundit. Si cattorum more ador-
naveris te, & compseris lenocinio bono-
rum operum, ut Deus te suscipiat, nihil
efficies. In Postilla. parte 2. fol. 154.
Lit. b. ita discurrit: *Arcta & angusta ad
Cœlum via est : gracilis & compressus
fieri debes, si per eam transire cupias.*
*Qui operibus bonis, uti Fratres Com-
postellani conchyliorum testis, incincti
sunt, perrepere ac penetrare non pote-
runt.* In argumento Epistolæ ad Ga-
latas, Christianis consulit, *ut discant*
igno-

*ignorare legem, itaque vivant coram
Deo, quasi penitus nulla sit lex. Sum-
ars est, inquit inter alia, summa Chri-
stianorum sapientia est: nescire legem,
ignorare opera, & totam justitiam acti-
vam. An autem haec & aliæ pestilen-
tiores doctrinæ verè ex Deo sint, ip-
se dubitat, uti videri potest partim
in tom. 2. Wittemb. fol. 35. pag. 1.
partim in tom. 7. Wittemb. fol. 146.
pag. 1. & 2. ubi, suamet extorque[n]te
conscientiâ, tandem fateri coactus est
de se ipso: Cor meum ita constitutum
est, ut confidam incepisse me in Dei
nomine: neque tamen idcirco tantum
audacia mibi sumo, ut istud pro certo
habeam, & indubitanter dicam, non
esse aliter: non enim libenter vellem
hac de re judicium Dei ferre, atque ad
eius tribunal congregari. O scelus! o
probrum hominis! Quis Apostolus
vel Propheta scripsit unquam tam
exoticè, tam seditiosè, tam impu-
denter? Taceo contumelias innu-
meras, quas fœtentissimum illud os*

evo-

evomere ausum est in beatam Virginem, in sanctos Patres, in Imperatorem, Reges, & Principes Christianos : poterunt illæ in ejus libris videri sparsim & in tanta multitudine, ut mirum sit, ab aliquibus potuisse credi, vel Spiritum sanctum habitasse in sordido vase isto, vel purissimum cæli Numen tam impuro instrumento ad Ecclesiæ suæ reformationem voluisse uti. Certè Prædicantes Tigurini id pridem agnovère, & ideo in confessione suæ fidei, anno 1585. typis publicis evulgatâ, indubitanter asserunt : *Planum atque exploratum esse, quod in rebus ad Religionem pertinentibus nullus unquam Christianæ modestiæ ac honestatis leges adeò turpiter transilierit, uti Lutherus fecit.*

Plurima adhuc sunt, quibus in hoc argumento diutiùs detineri possem, nisi prolixitas nimia juberet, me vela contrahere, atque ad Calvini doctrinam cādem brevitate percurrendam me reducere. Huc itaque Scapham
appel-

appello : & quid intueor in isthoc homine atque ejus voluminibus , quæ in manu gestat ? Nihil admodum , nisi doctrinas pestilentissimas , blasphemias , scandalosas , vel ut magis latinè loquar , offendiculis & injuriis contra Deum fabricatis plenas . En unum alterumveistarum specimen ! L. 2. inst. c. 16. §. 10. docet , Christum à morte sua ad infernum ac supplicia damnatorum prolapsum esse , ibique diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulisse . Desperacionem quoque aliquam (sed ut ipse arbitratur , fidei non contrariam) eidem in cruce affricat , §. 11. ita scribens : nulla fingi potest magis formidabilis abyssus , quam sentire te à Deo derelictum & alienatum ; & , cùm invocaveris , non exaudiri , perinde acsi in tuam perniciem ipse conspirasset . Eò Christum videamus fuisse dejectum , ut coactus fuerit urgente angustiâ exclamare , Deus meus ! Deus meus ! ut quid me dereliquisti ? & in harmonia c. 27. Matth. v. 47. inquit :

inquit: videmus itaque Christum despe-
ratione pulsatum , destitisse ab invoca-
tione Dei; quod perinde erat , ac despe-
rare de salute. Quis ad hæc audita non
exclamet intra se ? O ! fœdum ac pe-
stilens os , quod hujusmodi mephitim
ruat ! Procedamus tamen adhuc
paululum , ut insaniæ istius hominis
penitus cognoscantur. L 3.instit. C.23.
fusissimè docet , potissimam partem
hominum à Deo procreatam esse, ut
xternū pereat; cùmque subiisset a-
nimo , bonos omnes tam horribilis
decreti inclemtiâ vehementer exa-
cerbatum iri , ita pergit ibidem §. 7.
Decretum quidem horribile, fateor : infa-
ciari tamen nemo poterit , quin præsci-
verit Deus , quem exitum esset habiturus
homo, antequam ipsum conderet; & NB.
ideo præsriverit , quia decreto suo sic or-
dinârat. L. 2. instit. C. 5. proculcatâ
Sanctorum Patrum auctoritate , negat
homini voluntatem liberam ad agen-
dum bene vel malè, plurimisque di-
sputatis ita demum concludit §. 19.

I

Stet

*Stet ergo nobis indubia ista veritas, men-
tem hominis sic alienatam prorsus à Dei
justitia, ut nihil non impium, corruptum,
fædum, impurum, flagitiosum conci-
piat, concupiscat, moliatur: cor peccati
veneno ita penitus delibutum, ut nihil,
quām corruptum auctorem efflare queat.*

Denique, ut omittam plurima, L.
I. instit. C. 18. latissimè prosequitur,
Deum peccati auctorem esse, nec ul-
lum peccatum in mundo fieri absque
ejus non modò permittentis, sed eti-
am volentis & intendentis decreto:
eandémque doctrinam § 4. conclu-
dit hoc epiphonamate: *Quis non ad
ista judicia contremiscat, ubi agit
Deus etiam in cordibus malorum,
quidquid vult, reddens eis tamen se-
cundum eorum merita? Et certè in
Judæ perfidia nihilo magis fas erit NB
culpam sceleris Deo adscribere, quām
redemptionis laudem ad Judam trans-
ferre. Imò, inquam ego, quis non
contremiscat ad hujusmodi profligata,
atque ex ipso orci barathro effusa do-
gmatā?*

gmata? Quis alias hujusmodi institutionum finis est, vel esse potest; quam supremam Dei excellentiam hominibus exosam reddere, bonitatem ejus elevare, sanctitatem Christi imminuere, animos criminibus deditos in desperationem agere, incauto ac crudeliter populo fores & ostia relaxare, quibus rectissimo collo in scelus & infernum ruat?

Scio, quid ad hæc responderi soleat à quibusdam adversariis: Calvinum, inquiunt, non moramur, neque Lutherum pariter: non juravimus in utriusque Magistri verba: Scripturam sequimur, Scripturam amplexamur: hæc nobis vitæ & omnium doctrinarum lex est & amissis unica. Verum, si ita est, cur ergo profitentur alterutram è sectis illis, quæ vel à Luthero Lutherana dicitur, vel à Calvinio Calvinistica? cur non ita secum arguunt: vel error est in iis dogmatis, quæ supra ex utroque deprompta sunt, vel non?

Si non est error : cur ergo non sequor & amplector illa ; tametsi nemini placere possint , nisi malo ? Si autem error est : unde igitur certitudinem habeo , quod similiter non erraverint in aliis doctrinarum suarum articulis ? Certè sicut in illis sefellerunt nos per aliquos Scripturarum textus male explicatos ; sic etiam in cæteris omnibus potuerunt fallere. Sola multitudo textuum , quibus imperitos obruunt , sanitatem doctrinæ non ostendit , nisi eodem argumento omnes antiquorum temporum hæreticos ab infidelitatis vicio absolutos velis. Præclarè hac de re Vincentius Lirinensis , qui ante mille & amplius annos vitam egit , libro adversus hæreses à se conscripto : *Hic , inquit , fortasse aliquis interroget , an & hæretici divinae Scripturae testimonii utantur ? Utuntur planè & vehementer quidem.* Nam videoas , eos volare per singula quæque sanctæ Legis volumina , per Moysis , per Regum libros ,

bros, per Psalmos, per Apostolos, per Evangelistas, per Prophetas. Sive enim apud suos, sive alienos, sive privatim, sive publicè, sive in sermonibus, sive libris, nihil unquam pene de suo proferunt, quæ non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samosateni opuscula, Priscilliani, Eunomii, Joviniani, reliquarūmque pestium : cernas infinitam exemplorum congeriem, ac propè nullam omitti paginam, quæ non novi aut veteris testamenti sententiis fucata & colorata sit. Sed tanto magis cavendi & pertimescendi sunt, quanto occultius sub divine Legis umbraculis latitant. Sciunt enim, factores suos nulli ferè citò esse placituros, si nudi & simplices exhalentur ; atque idcirco eos cœlestis Eloquii velut quodam aromate aspergunt, ut ille, qui humanum facile despiceret errorum, divina non facile contemnat oracula. Tales erant hi, quos percutit Apostolus in 2da ad Corinthios dicens : nam ejusmodi, inquit, Apostoli,

stoli , operari subdoli , transfigurant se
in Apostolos Christi . Quid est , trans-
figurant se in Apostolos Christi ? Pro-
ferebant Apostoli divinae Legis exem-
pla , proferebant & illi : proferebant
Apostoli Psalmorum auctoritates , pro-
ferebant & illi : proferebant Apostoli
sententias Prophetarum ; & illi nihil
minus proferebant . Sed cum ea , que
similiter protulerant , interpretari non
similiter cœpissent , tunc simplices à sub-
dolis , tunc infucati à fucatis , tunc
recti à perversis , tunc postremò veri
Apostoli à falsis Apostolis discernebantur .

Et paulò post , adducto exemplo
Dæmonis è Scriptura sacra cum Chri-
sto argumentantis , dicentisque , Si Fi-
lius Dei es , mitte te deorsum : scriptum
est enim &c. eleganter ita pergit : ma-
gnopere nobis doctrina loci istius atten-
denda atque retinenda est , ut tanto E-
vangelicæ auctoritatis exemplo , quando
aliquos Apostolica seu Prophetica verba
proferre contra Catholicam Fidem vide-
mus , Diabolum per eos loqui minimè
dubi-

dubitemus. Nam sicut tunc caput capiti,
ita nunc membra membris loquuntur ;
membra scilicet Diaboli membris Chri-
sti, perfidi fidelibus, sacrilegi Religiosis,
hæretici postremò Catholicis.... Si quis
interroget quempiam hæreticorum sibi
talia persuadentem ; unde probas ?
unde doces , quod Ecclesiæ Catholicæ
universitatem & antiquam Fidem di-
mittere debeamus ? statim ille : scriptum
est enim. Et continuò mille testimonia,
mille exempla, mille auctoritates parat,
de lege , de Psalmis , de Apostolis , de
Prophetis , quibus novo & malo more
interpretatis , ex Arce Catholica in hæ-
reseos barathrum infelix anima præci-
pitetur. Hucusque Vincentius Liri-
nensis , ex cuius sapientissimo discursu
planum est , quantâ sollicitudine , qui-
libet salutis suæ studiosus cavere sibi
debeat ab hæreticorum objectionibus
desumptis è Scriptura ; potiusque ob-
servare illam Christi Domini præcla-
rissimam admonitionem , Matthæi 7.
v. 15. Attendite à falsis Prophetis.

§. 7mus.

Motivum septimum.

Quia hodierni Acatholici haud
aliam nobis doctrinam offerunt, quām
quæ jam pridem ab antiquissimis hæreticis
infelicitè protrusa, à sanctis Patribus con-
stanter impugnata, & à plurimis
Ecclesiæ Conciliis pro-
fligata est.

VEritatem hujus motivi ut osten-
dam breviter, juvat hic ire per
præcipua quædam hodiernorum No-
vatorum dogmata. Age, percurra-
mus illa; & ad singula simul adnote-
mus doctrinam hæresiarcharum vete-
rum, qui jam pridem occisissimi sunt,
& ab ipsis etiam Adversariis nostris
manifestæ hæreſeos condementur.
Videbimus certè, à Luthero & Cal-
vino nihil novi in lucem datum; sed
tantum incubatione novâ iterum ex-
clusa esse ova quædam vetera ac planè
rejectitia, quæ ab hæreticis antiquo-
nibus

ribus pridem posita & exclusa fuerant.

I. Doctrina *Lutheri & *Calvini est, hominem solâ Fide ad justitiam pervenire, & salutem æternam consequi absque bonorum operum admiriculo. At hoc idem docuerunt olim Eunomiani, & alii quidam etiam temporibus Apostolorum existentes hæretici, de quibus Augustinus L. de hæresibus ad Quodvultdeum, hæresi 54. Fertur [Eunomius] usque adeò fuisse bonis moribus inimicus, ut asseveraret, quod nihil cuique obesset quorumlibet perpetratio ac perseverantia peccatorum, si hujus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset: & L. de fide & operibus C. 14. excutiendum est à cordibus religiosis, ne malâ securitate salutem suam perdant, si ad eam obtainendam sufficere NB. solam fidem putaverint; bene autem vivere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nam etiam NB.

I 5 tem-

* Luther tom. 6. fol. 165. pag. 2.

* Calvin. l. 3. institut. c. 11. § 18. & seq.

*temporibus Apostolorum, non intellectis
quibusdam sub obscuris sententiis Apostoli
Pauli, hoc eum quidam arbitrati sunt
dicere. --- Quoniam ergo hæc opinio
NB. tunc fuerat exorta, aliæ Apostoli-
cæ Epistolæ, Petri, Joannis, Jacobi, Ju-
dæ, contra eam maximè dirigunt inten-
tionem, ut vehementer astruant, Fidem
sine operibus nihil prodesse. &c.*

II. Doctrina *Lutheri & *Calvini
est, hominem arbitrii liberi penitus
expertem esse, & à Deo inevitabili
necessitate ita interius agi, ut omnia
ejus opera, sive bona sive mala, Deo
auctori potissimum adscribenda sint.
At hoc idem ante mille & amplius
annos docuerunt Manichæi & alii
plures, qui vel ab ipsis Adversariis
nostris hæreseos notâ inuruntur. De
Manichæis quidem fatetur Augusti-
nus L. 1. contra duas Epistolas Pela-
gianorum C. 2. ita scribens: *dicunt
illi*

* Luther de servo arbitr. ad Erasmus tom. 6.
fol. 462.

* Calvin. I. 1. institut. c. 18. § 2. & 4.

illi Manichæi, quia primi hominis peccato liberum arbitrium perierit, & nemo jam potestatem habeat bene vivendi, sed omnes in peccatum carnis suæ necessitate cogantur. - - - Quis autem nostrum hoc dicat? Libertas quidem periit per peccatum; sed illa quæ in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam. - - - Liberum verò arbitrium usque adeò in peccatore non periit, ut per illud peccent maximè omnes, qui cum delectatione peccant. De aliis quoque in eundem errorem lapsis ita scribit Tom. 7. in prima ex duabus epistolis datis ad Valentinum: Venerunt ad nos duo Juvenes, Cresconius & Felix, de vestra congregazione se esse dicentes, qui nobis retulerunt, Monasterium vestrum nonnullà dissensione turbatum, eò quod quidam in vobis sic gratiam prædicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium. Obscro itaque vos Fratres, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Primò enim Dominus noster Jesus Christus, sicut scri-

scriptum est in Evangelio Joannis, non venit, ut judicaret mundum, sed ut salvaretur mundus per ipsum: postea vero, sicut scripsit Apostolus Paulus, judicabit Deus Mundum, quando venturus est. Si igitur non est Dei gratia, quomodo salvat mundum? & si non est liberum arbitrium; quomodo judicat mundum? Proinde librum vel Epistolam meam, quam secum supradicti attulerunt, secundum hanc fidem intelligite, ut neque negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium sic defendatis, ut à Dei gratia separatis.

III. Doctrina Lutheri & Calvinii est, non esse orandum pro defunctis, neque observanda jejunia per Ecclesiam Catholicam instituta. At eodem errore ante utriusque Novatoris tempora jam pridem inquinati fuere Jovinianus, Aërius, & alii plures, quos in numero hæreticorum reponendos esse, etiam ex Adversariis nostris nemo ambigit. De Joviniano docet hoc S. Augustinus L. de hæresibus ad

Quod-

Quodvultdeum, hæresi 82. ita scribens: à Joviniano quodam Monacho ista hæresis orta est ætate nostrâ, cùm adhuc juvenes essemus. Hic omnia peccata paria esse dicebat, nec posse peccare hominem lavacro regenerationis accepto, nec aliquid NB. prodesse jejunia, vel à cibis aliquibus abstinentiam. De Aërio quoque ibidem hæresi 53. ita loquitur: *Aëriani ab Aërio quodam sunt nominati, qui, cum esset presbyter, doluisse fertur, quod Episcopus non potuit ordinari: & in Arrianorum hæresim lapsus, propria quoque dogmata addidisse nonnulla dicens: NB. orare vel offerre pro mortuis non oportere: nec NB. statuta solenniter celebranda esse jejunia; sed, cùm quisque voluerit, jejunandum, ne videatur esse sub lege. Dicebat etiam Presbyterum ab Episcopo nullâ differentiâ debere discerni.*

IV. Doctrina Lutheri & Calvini est, sanctorum invocationem ab Ecclesia proscribendam esse, neque ipsorum sacris Reliquiis honorem aliquem

quem aut venerationem impendi oportere. At eodem errore , etiam in primitiva Ecclesia impliciti fuere Vigilantius , & Faustus Manichæus , quos ipsimet adversarii nostri ab hæreticorum numero excludere non volunt ; nec si velint , possunt. De Vigilantio S. Hieronymus epist. 53. ad Riparium , adversus Vigilantium , ita scribit : *Ais Vigilantium , qui κατ' αντιφεστιν hoc vocatur nomine (nam Dormitantius rectius diceretur) os fætidum rursus aperire , & putorem spurcissimum contra sanctorum Martyrum proferre Reliquias ; & nos , qui eas suscipimus , appellare cinerarios & NB idololatras , qui mortuorum hominum ossa veneremur. O ! infelicem hominem , & omni lacrymarum fonte plangendum ! Nos , non dico Martyrum Reliquias , sed ne Solem quidem & Lunam , non Angelos , non Archangelos , non Cherubim , non Seraphim , & omne nomen , quod nominatur & in praesenti saeculo & in futuro , colimus & adoramus,*

ramus; ne serviamus creaturæ potius,
quàm Creatori; qui est benedictus in
sacula. Honoramus autem Reliquias Mar-
tyrum, ut eum, cuius sunt Martyres,
adoremus. Honoramus servos, ut ho-
nor servorum redundet ad Dominum,
qui ait: qui vos suscipit, me susci-
pit &c.

De Fausto autem Manichæo idem
scribit, & errorem hunc fusissimè
insectatur S. Augustinus tom. 6. l. 20.
contra Faustum Manichæum c. 21.
ubi sic loquitur: *Quod etiam hinc*
nobis calumniatur Faustus, quòd Mar-
tyrum memorias honoramus, in hoc di-
cens nos idola convertisse; non tam me
movet, ut huic calumniæ respondeam,
quàm ut ipsum Faustum ostendam, stu-
dio calumniandi, etiam ab ipsius Ma-
nichæi vanitatibus exorbitare voluisse.

Populus Christianus memorias Mar-
tyrum religiosa solemnitate concelebrat,
& ad excitandam imitationem, & ut
meritis eorum consocietur, atque ora-
tionibus adjuvetur: ita tamen, ut nul-
li

li Martyrum , sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, quamvis in memorias Martyrum constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari , aliquando dixit : Offerimus tibi Petre , aut Paule , aut Cypriane ? sed , quod offertur , offeretur Deo , qui Martyres coronavit ; ut ex ipsorum locorum admonitione major affectus exsurgat , ad acuendam charitatem , & in illos , quos imitari possumus ; & in illum , quo adjuvante possumus. Colimus ergo Martyres : at verè illo cultu , quæ græcè latria dicitur , cùm sit quedam propriè divinitati debita servitus , nec colimus , nec NB colendum docemus , nisi unum Deum.

V. Doctrina Lutheri & Calvinii est , sub speciebus Eucharisticis , quas venerationi publicæ circumferimus , corpus & sanguinem Christi revera præsentem non esse , adeoque nec adorari posse. Sed & ista hæresis jam dudum prostratissima fuit , primumque tradita ab hæreticis quibusdam

dam tempore Constantini Copronymi circa annum 754. deinde à quodam Joanne Scoto circa annum 850 ; ac denique, ut alios posteriores taceam, à Berengario hæretico circa an: 1050.

De prioribus fusè agitur in Sy-
nodo * Nicæna 2da, actione 6tâ, Tom.
3. sub finem, ubi error iste, quo pu-
tabant in Eucharistia tantùm esse ima-
ginem veri Corporis & Sanguinis
Christi, ita rejicitur & confutatur:
Nemo unquam Sanctorum Apostolorum,
aut gloriosorum Patrum nostrorum, in-
cruentum nostrum Sacrificium, imagi-
nem corporis illius dixerit. Nam is, qui
acepit à Domino, sic non dicit aut con-
fitetur; sed audiunt eum sic dicentem
Evangelice: nisi comederitis carnem Fi-
lli hominis, & biberitis ejus Sangu-
inem, non habebitis vitam in vobis: &
qui manducat carnem meam, & bibit
Sanguinem meum, in me manet, & ego
in eo. Et cùm accepisset panem, & gra-
tias egisset, fregit & dedit Discipulis

* Exstat tom. 7. concil. Paris. pag. 838.

suis, & dixit: accipite, edite: hoc est
Corpus meum. Non autem dixit: Su-
mite, edite imaginem Corporis mei.
Quin etiam Paulus Divinus Apostolus,
e sacris Domini verbis hauriens, dixit:
ego accepi à Domino, quod & tradidi
vobis &c. ---- Legas, quousque voles;
nusquam invenies, neque Dominum,
neque Apostolos, neque Patres, incruen-
tum illud Sacrificium, quod à Sacerdote
offertur, imaginem dixisse; verùm ipsum
Corpus & ipsum Sanguinem. De Beren-
gario autem, & Joanne Scoto, ex quo
ille suos errores hausit, fusè agitur in
variis Conciliis circa annum 1050. &
alios sequentes habitis, relatísq; Tom.
9. Conciliorum Parisiis editorum an-
no 1671: ubi præter alia etiam pag.
1050. recensetur opusculum aliquod
anno 1088. exaratum, in quo ita scri-
bitur: *Beringerius Andegavensis here-
sim sui nominis condidit, & veritatem
Dominici Corporis & Sanguinis, contra
Evangelicam veritatem abnegare pre-
sumpsit, asserens, panem & vinum in*

Sa-

Sacrificio Domini non verè, nec essentialiter, sed figuratè tantum converti in Corpus & Sanguinem Dominicum: quod Catholicæ Fidei & Evangelicæ veritati apertissimè adversatur, uti sancti Patres docuerunt. Quapropter sanctus Leo Papa IX. eandem hæresin suo tempore ad Apostolicam Sedem per literas delatam, generali Synodi judicio diligentius ventilavit, & ventilatam Synodali judicio damnavit. ---- Deinde ipsum ad proximam tunc Synodum, in proximo Septembri ab eo Vercellis celebrandam, vocavit audiendum. Ad hanc Synodum non ipse Beringerius, sed quidam ejus fautores pervenerunt; qui eum defendere volentes, in primo aditu defecerunt. Dominus autem Apostolicus iterum Synodali judicio sententiam Beringerii & NB. librum Joannis Scoti de Corpore Domini sub anathemate damnavit; & fidem, quam omnes Catholici de veritate Corporis & Sanguinis Domini ha-ctenus habuerunt, & adhuc habent, confirmavit. ---- Victor quoque Papa,

Successor sancti Leonis Papæ, missus Legato in Gallias, Hildebrando tunc Archidiacono, sed nostri temporis Apostlico, generalem Synodum Turonis congregavit: in qua ipse Beringerius, cum se penitus defendere non posset, sub juramento propriam hæresim anathematizavit, licet postea ad eandem redierit. Nicolaus autem Papa eidem Beringerio Romæ in generali Synodo audientiam concessit, causamque ejus cum 113. Episcopis Synodali Judicio ventilavit. Sed ille iterum, cum sectam suam defendere non valeret, tandem quasi correptus, libros propriæ hæreseos, in conspectu Domni Apostolici & totius Synodi, manu propriâ concremavit; & errore abnegato, Catholicam professionem, quam in Turonensi Concilio fecerat, sub jurejurando iterum renovavit; ita pronuntians: Ego Berengarius indignus Diaconus Ecclesiæ S. Mauritii Andegavensis, cognoscens veram & Apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipue de qua infamatus sum: que astru-

astruere conatur, panem & vinum, quæ
in Altari ponuntur, post consecrationem
solummodo Sacramentum, & non verum
Corpus & Sanguinem Domini nostri Je-
su Christi esse &c.

VI. Doctrina Lutheri & Calvinii
est, *cœlibatum clericalem & omnia
castitatis perpetuæ vota non solum re-
jicienda; sed etiam abominationi Di-
vinæ obnoxia esse. At hoc ipsum vi-
rus ante mille trecentos annos jam
pridem ruſtavère Jovinianus & Vig-
lantius, quorum impurissimas fæces
Novatores isti maluerunt resorbere,
quām incorruptæ doctrinæ fontes à
primis Ecclesiæ Patribus propinatos
bibere. De Joviniano hæretico S. Au-
gustinus l. de hæresibus ad Quodvult-
deum, hæresi 82. ita loquitur: *Virgi-
nitatem etiam Sanctimonialium & con-
tinentiam sexūs virilis, in Sanctis eli-
gentibus cœlibem vitam, conjugiorum
castorum atque fidelium meritis adæqua-
bat: ita ut quædam Virgines sacræ, pro-*

K 3

vectæ

*Calvin. l. 4. instit. C. 13.

vecte jam etatis in urbe Roma, ubi hec
docebat, eo auditio nupsisse dicantur....
Citò tamen ista hæresis oppressa & ex-
tincta est, nec usque ad deceptionem a-
liquorum Sacerdotum potuit pervenire.
De Vigilantio quoque & ejus doctrina,
in præfatione Concilii Senonensis an-
no 1528. habiti ita legitur: *rejectus*
est post eos [videlicet post Manichæum
& Aërium] *Epicureus Vigilantius, in-*
fensus admodum Ecclesiasticæ pudicitiæ;
quandoquidem immundo spiritu agita-
tus in tantam prorupit amentiam, ut
continentiam hæresin, pudicitiam dicat
libidinis seminarium. *Quare sacram*
continentiæ legem non ferens, libidini
fræna permittit, nullos volens sacris
initiari, qui uxores priùs non duxerint:
quasi nihil sit, quo homines, divinâ gra-
tiâ adjuti, distent à porcis; nihil quo
differant à brutis animantibus. *Pessimè*
certè de restituto à Christo humano ge-
nere judicat, qui ita censet. --- Pro-
banda est latinæ Ecclesiæ continentia,
utpote quæ sanctitate præfulgeat, liber-
tatem-

tatemque præstet, Dominum sine impedimento obsecrandi. Non absire ergo Ecclesiastica censurâ repulsa est Vigilantia & affectarum ejus assertio impudenterissima.

Nimis prolixum foret, si per omnia Lutheri & Calvini dogmata cursu comedem pergerem. Qui plura volet, videre poterit ea de re Jodocum Cocciuum in *thesauro Catholico*, Jacobum Gualtherium in *Tabula Chronographica*, & Georgium Scherer S. J. partim in libello, quem germanicè den *Lutherischen Bettler-Mantel* / latinè *Lutheranum centonem* vocat, partim in *Apologia* adversùs Jacobum Herbrandum edita. Id unum ex iis, quæ hucusque dicta sunt, hic breviter sciscitari lubet, satiusne sit adstringere se societati istorum Novatorum, qui ex hæreticis etiam suomet judicio jam pridem damnatissimis doctrinam suam miserè consarcinârunt; an verò ad Catholicam Ecclesiam se adjungere, quæ hæreticos

antea recensitos tot ante sæcula legi-
timè condemnavit , & usque in ho-
diernam horam semper in sua fide sta-
bilis & immutata mansit ? Fierinc
potest, ut ea , quæ ante annos mille
& amplius à S. Augustino , à S. Hie-
ronymo , à tot aliis non minus do-
ctrinâ , quâm sanctitate præstantissimis
Patribus & Conciliis velut hæretica ,
impia , scelerata dogmata condemna-
ta ac rejecta sunt ; nunc iterum no-
vâ metamorphosi , Christiana , pia , ho-
nesta , & ab omni scelere expedita es-
se eœperint ? idque non alia ex cau-
sa , quâm quia Lutherus & Calvinus
ita censuerunt : *Sic volo, sic jubeo; stat
pro ratione voluntas?*



§ 8tavus,

§. 8tavus.*Motivum octavum.*

Quia Lutherus , Calvinus , &
alii Doctrinæ Acatholicæ Principes
ostendere non possunt , se mediatè vel im-
mediatè à Deo vocatos esse ad reformatio-
nem Ecclesiam , novamque doctrinam Fi-
dei inducendam ; quæ antiquissimæ
Catholicorum Doctrinæ con-
traria sit , & velut è dia-
metro opposita .

Tanti cujusvis interest , eos , qui
se Ecclesiæ Ministros ferunt , le-
gitimè à Deo missos & vocatos esse ,
ut omnium nostrum salus non mini-
mâ sui parte ab illius vocationis aut
missionis sinceritate pendeat . Hâc
enim deficiente , quis legitimum Verbi
Divini præconem agere ? quis pecca-
torem à suarum iniquitatum vincu-
lis liberare ? quis Divinissimum Eu-
charistiaæ Sacramentum confidere , &
alia sacri Ministerii munia justè valen-
terque obire potest ? Non adducam

K 5

hunc

hunc in finem illud Pauli ad Rom. 10.
 quomodo credent ei , quem non au-
 dierunt ? quomodo autem audient sine
 prædicante ? quomodo verò prædica-
 bunt , nisi mittantur ? Non com-
 memorabo illud Ezechielis 13. v. 3.
 & 6. *V& Prophetis insipientibus , qui*
sequuntur Spiritum suum , & nihil vi-
dent ! vident vana & divinant men-
dacium , dicentes : ait Dominus , cùm
Dominus NB non miserit eos. Non
 appellabo ad oracula & Prophe-
 tias Jeremiæ , apud quem Deus ipse
 ita loquitur c. 23. v. 21. non mitte-
 bam Prophetas (illos) & ipsi curre-
 bant : non loquebar ad eos , & ipsi
 prophetabant. Si stetissent in consilio
 meo, & nota fecissent verba mea popu-
 lo meo, avertissem utique eos à via sua
 mala. Hæc inquam & alia plura
 quibus asserti superioris veritas con-
 firmari posset , lubens prætermit-
 to : Id unum hoc loco mihi satis est,
 etiam Novatores ipsos , & prima ipso-
 rum capita ea in re nobiscum con-
 sentire

sentire , neque sincerum aliquem Ecclesiæ Ministrum dicere , nisi qui legitime à Deo mittitur , & vocatur tanquam Aaron. Ecce ! ipsius Calvini verba lib. 4. instit. c. 3. § 10. ne , inquit , homines inquieti ac turbulenti (quod alias futurum erat) temerè se ad docendum vel regendum ingererent , nominatim cautum est , ne quis NB sine vocatione publicum in Ecclesia munus sibi sumat. Ergo ut quis censetur verus Ecclesiæ Minister , primò NB rite vocatus sit oportet ; deinde ut sua vocationi respondeat , id est , injunctas sibi partes suscipiat , & exequatur. Hoc apud Paulum animadvertere saepius licet : qui ubi suum Apostolatum vult approbare , cum sua in munere obeundo fidelitate vocationem semper ferè allegat. Nec minus clara & aperta est hac in re Martini Lutheri sententia tom. 7. latino Wittenb. fol 458. ubi adducens illud Jeremiæ 29no , pro eo , quod prophetavit vobis Semeias , & ego non misi

misi eum , & fecit vos confidere in mendacio &c. ita subjungit : hic audis , eum , qui non est missus , non habere verbum Dei , suaque doctrinâ facere , ut homines confidant in mendaciis. Et iterum Tom. 3. parte 2. fol. 139. pag. 1. & 2dâ ad psal. 82. Parochi , inquit , & Magistratus omnes diligenter attendere debent , subditosque suos commonere , ut concionatores , qui se ipsos intrudunt , tanquam nebulones & certos diaboli nuntios devitent , nisi fide dignum testimonium NB sue à Deo vocationis attulerint : Alioquin eos non audient , nec admittent , etiamsi purum putum Evangelium prædicare velint ; imò etiamsi Angeli aut meri Gabrieles è Cœlis fuerint. Nihil enim recipit Deus , quod fit ex propria electione ; sed omnia ex mandato & vocatione fieri vult. ---- Ergo qui prædicare & docere voluerit , demonstret se vocatum: si noluerit , tradat Magistratus hujusmodi nebulones lictori.

Deum

Deum immortalem ! si hæc ita sint,
ut isti Novatores unanimi voce nobis-
cum clamitant, quomodo Acatholico-
rum aliquis sufficienter poterit securus
esse, vel de doctrina sibi à Luthero Cal-
vinóque tradita, vel de rectitudine ac
sinceritate suæ fidei, vel de vera Sa-
cramentorum perceptione, vel de a-
depta scelerum suorum venia ac re-
missione ?

Intelleximus ex utriusque Nova-
toris testimonio : *eum, qui non est mis-
sus, non habere verbum Dei; neque ve-
rum Ecclesiæ Ministrum censeri posse.*
Quid si igitur & ipsi vocationem suam,
quâ se ad Ecclesiæ Catholicæ reforma-
tionem à Deo missos esse gloriati sunt,
nullo verisimili argumento unquam
ostendisse visi fuerint ? imò quid si è
contrario demonstrem ego , ambos
ipsos non nisi temerario saltu prosi-
lliisse ad effutienda illa dogmata , an-
tiquæ Ecclesiæ sensui planè contraria.
Nónne evincerem penitus , eos non
docuisse verbum Dei, sed sui tantùm
figmen-

figmenta cerebri? nec venisse, ut Ecclesiam reformarent; sed ut eam deformarent, hominésque miseros hæreticâ falsitate suâ velut exitiali unco in infernum traherent? Ita est, Christiana anima! ita est. *Quomodo enim prædicabunt æternæ veritatis eloquia, nisi mittantur ab eo, qui est æterna veritas?* quomodo non viderunt vanâ, & divinârunt mendacium, dicentes, ait Dominus; si Dominus non miserit eos?

Duplex vocandi modus adhiberi à Deo solet, cùm aliquem segregare vult in ministerium salutis, & opus doctrinæ Evangelicæ: unus est extraordinarius, quo Deus aliquando vocat immediatè per se ipsum; alter verò ordinarius, quo tantùm vocat mediatè per alios homines à se missos & Vicarios suî. Priore modo vocati sunt Prophetæ veteres, & Apostoli in lege nova. Isaiæ 6. v. 8. *Audivi vocem Domini dicentis, quem mittam?* & dixi, ecce ego, mitte me: & dixit, vade, & di-

& dices populo huic &c. Item Matthæi 10. v. 5. & 16. Hos duodecim misit Jesus dicens, in viam gentium ne abièritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis. -- Ecce ! ego mitto vos &c.

Posteriore modo vocati missique sunt plerique alii , qui ab Apostolis & legitimis Ecclesiæ Antistitibus ordinati , in eorum labores & Evangelicæ prædicationis officium successere, juxta illud Pauli ad Titum 1. v. 5. Reliqui te Cretæ , ut ea , quæ desunt , corrigas , & NB constituas per Civitates Presbyteros , sicut & ego disposui tibi . Et Actorum 14. v. 20. & 22. Cumque evangelizassent [Paulus & Barnabas] civitati illi , & docuissent multos , reversi sunt Lystram & Iconium & Antiochiam , confirmantes animas discipulorum ; & cum NB constituissent illos per singulas Ecclesias Presbyteros , commendaverunt eos Domino . Ecce ! hi duo modi , queis Deus utitur hâc in re . Accedat nunc Acatholicus,

cus, & nobis explicet, utronam modo Lutherus Calvinusve ad evertenda Religionis Catholicæ dogmata à Deo missus vocatúsque fuerit ?

Extraordinariam & immediatam vocationem nemo hīc, ut opinor, asseret. Quis enim audivit uspiam, hominem aliquem sub obtentu missionis extraordinariæ, ad Ecclesiæ totius reformationem prosilire, imò & nova maximèque peregrina dogmata contra præcedentium sæculorum fidem promulgare ausum esse, nisi per miracula signaque supernaturalia extraordinariam hanc vocationem suam orbi universo manifestam fecerit ? Moysen hīc observe ductorem doctoremque populi Hebraici ! Cùm à Deo juberetur ire ad educendos ex Ægypto filios Israel, & excutiendam, sub qua gemebant, servitutem Pharaonicam ; tantæne statim audaciæ fuit, ut hoc opus conaretur ac vellet aggredi, priusquam universum populum de singulari mif-
fione

sione sua per frequentata miracula certiorem redderet ? Minimè gentium. Nam ut inquit sacer Textus Exodi 4. respondens Deo Moyses ait : *non credent mihi , neque audient vocem meam ; sed dicent , non apparuit tibi Dominus.* Ut ergo Deus extraordinariæ ipsius vocationi testimonium necessarium daret publicè ; virgam , quam tenebat Moy-ses , jussit ocyùs in terram projici. Quo peracto cùm illa protinus in colubrum versa , iterumque appre-hensâ illius caudâ in virginem reversa es-set ; potestatem ei contulit miracula perpetrandi coram filiis Israel , addiditque idcirco hoc à se fieri , *ut credant , quod apparuerit tibi Dominus Deus Patrum suorum , Deus Abraham , Deus Isaac , & Deus Jacob.* Simili modo virtus illa thaumaturga non solum in lege veteri concessa est Eliæ & Eliseo , sed etiam in lege nova sanctis Apostolis omnibus : quorum nemmo extraordinariæ vocationis doctrinæque

L

næque

næque suæ fidem apud Judæos Ethnicoſve invenire ſe posſe credidit, niſi prodigia de cœlo consecuta prædicationi ſuæ ſigillum veritatis apprime-rent.

Jam verò quæ miracula virtutēſ-que portentosæ Lutheri Calvinique prædicationem comitata ſunt, cùm adverſūs Romanam Eccleſiam novi-tatum ſuarum vexilla in altum tolle-rent? Quid in terra, quid in mari, quid in aëre & elementis omnibus effecere, quod ſupra naturam & vi-res illius fuerit? Ubi, quo in loco, & quibus inspectantibus, vel equum claudum, vel ſuem cœcam, ne dicam infirmum hominem, sanitati priftinæ reſtituiſſe viſi ſunt. Certè cùm nihil horum oſtendere unquam valeant aut velint adverſarii, quid aliud conclu-di à nobis poterit, quām quòd gemi-ni iſti novaturientis Eccleſiæ Princi-pes immeſiatæ & extraordiñariæ vo-cationis expertes fuerint? Fatetur hoc, palamq; fassus eſt Lutherus ipſe in Epi-stola

stolá ad urbem Senatúmque Mülhusanum data tom. 2. fol. II. p. 1. Neque inficiari de semetipso Calvinus poterit , nisi & Arrio & Nestorio & omnibus , quotquot unquam Ecclesiæ Catholicae turbatores exstiteré , missionem hanc extraordinariam eodem , quo sibi , jure ac titulo attributam velit.

Quid autem porrò loquar de eorum vocatione ordinaria ac mediata ? Etiam in ea defendenda explicandaque adeò sese torquent & lacerant adversariorum nostrorum ingenia, ut vel ipsa declarandi impotentia satís indicet vocationem hanc imbecilli penitus ac ruinoso fundamento nixam esse. Multi sunt , qui eam desumere velint ab electione ac nominatione solius populi vel Magistratū civilis. Sed quis non videt , id esse refugium pauperum, hominūmque ejusmodi, quos inopia consilii ad exotica responsa dejicit ? Quā enim ratione potestas merè civilis & politica extendere sese poterit ad con-

L 2 feren-

ferendam alicui potestatem purè spiritualem & Ecclesiasticam , qualis est prædicandi, consecrandi , absolvendi? Quomodo hi , qui primi erant in audienda Lutheri Calvinique doctrina , potuerunt iis dare vocationem primam, ac facultatem promulgandi ejusmodi dogmata , de quibus nulla in ipsis cognitio præcucurrerat ? Nunquid hoc modo adversarii nostri eos , à quibus Lutherum Calvinūmque vocatos volunt , jam antè Lutheranos vel Calvinistas faciunt , quàm eorum doctrinam ac reformationem primis auribus combibissent ?

Alii , ne in solos laicos potestatem spiritualem transferant , vocationem hanc deducere volunt non solum ab electione populi , sed etiam aliorum Ecclesiæ præsiduum , qui huic electioni moderandæ præsunt: *habemus ergo , verba sunt Joannis Calvini l. 4. instit.* C. 3. n. 15 , esse hanc ex verbo Dei legitimam ministri vocationem , ubi ex populi consensu & approbatione creantur ,

tur, qui visifuerint idonei: præesse autem electioni debere alios Pastores, ne quid per levitatem, vel per mala studia, vel per tumultum à multitudine peccetur. Verùm & hi, qui ita sentiunt in scyllam incidunt, dum charybdin vitare cogitant. Cùm enim primos illos Ecclesiarum suarum architectos ab aliis Pastoribus & universo populo vocatos asserunt, continuò recurrit quæstio, cujusnam fidei ac Religionis fuerint Pastores illi & ille populus? Si Lutheranæ aut Calvinisticæ; quomodo poterat aliquis aut Lutheranus aut Calvinista esse, priusquam Lutherus & Calvinus suarum doctrinarum invisa semina in orbem Christianum sparserant? Si autem Catholicæ & Romanæ, quomodo verisimile est, quòd hi voluerint vocare illos, ut fidem sibi traderent suæ fidei tam contrariam, imò tallem, de qua ante Lutherum Calvinumque suspicio nulla sibi mota fuerat? Quidquid hic effugiorum quæritur,

ritur; certum est & ineluctabile, saltem
primas amborum prædicationes, qui-
bus populi eligentis animos ad ipso-
rum vocationem præparari oporten-
bat, absque missione legitima atten-
tatas esse, adeoque in eos cecidisse,
quod olim Deus apud Jeremiam con-
questus est c. 29. v. 23. *Falsò ipsi pro-
phetabant vobis in nomine meo, & non
misi eos, dicit Dominus. ... Locuti
sunt verbum in nomine meo mendaci-
ter, quod non mandavi eis.* Id autem
si concederint adversarii; apertissimè
confitentur, primos illos Ecclesiarum
suarum fundatores à mendaciis ince-
pisse, & per mendacia vocationem su-
am ab his, qui electioni præerant,
consecutos esse.

Alii denique, ut ex eo labyrintho
se evolvant, recurrunt hic, Molinæo
duce, ad eam vocationem, quam per
consecrationem Episcopalem Nova-
tores ambo recipere visi sunt in Ec-
clesia Catholica. Ac tametsi alias
Ecclesiam hanc ubique traducere sole-
ant,

ant, velut Anti-Christicam, superstitionem, idololatricam, imò & diabolicalam; in præsenti tamen controversia eò necessitatis & angustiarum veniunt, ut audenter asserant, etiam ab hujusmodi *synagoga Sathanæ* vocacionem veram sincerámque proficiisci posse. Verùm, O Superi boni! quis iste furor? quæ hominum ad extrema dejectorum necessitas, ne dicam per vicacia? Si enim ab Ecclesia Catholica originem spiritualis vitæ & Christianitatis suæ derivare debeant; cur ergo tam insanis opprobriis eam ubique lacerant sub clementito nomine *meretricis Babylonica*? Tantúsne eis honor est, nativitatem spiritualem ducere, non ab aliquo vulgari scorto, sed ab illa *meretrice magna*, & omnium, ut ipsi vocitant, meretricum corruptissima? Imò si Ecclesia Catholica tantis abominationibus respersa sit; quomodo ab eadem profluere potuit vocatio tam sancta, pura, & impolluta? Quomodo non erravit Apostolus

stolus in 2. ad Cor. C. 6. dicens , non esse participationem justitiae cum iniquitate , neque societatem luci ad tenebras , neque conventionem Christi ad Belial ? Quid respondebitur Arrio, Nestorio, Eutycheti , & aliis antiquorum temporum Hæresiarchis, ne & ipsi ad promulgandas novitates suas ab Ecclesia Catholica se vocatos clamitent ? Denique , cur non etiam Judæus quilibet , vel gentilis idololatra , vel ipse ex inferno Sathanas utriusque Novatori vocationem sanctam & legitimam impertiri potuit ? Certè vel disparitas h̄ic assignanda est, vel concedendum pariter , id omnino potuisse fieri. Hoc autem si audiero , cessabo loqui , & omni admiratione plenus exclamabo cum Ovidio L. I. trist. Eleg. 7.

*Omnia jam fient , fieri quæ posse negabam;
Et nihil est , de quo non sit habenda
fides.*

*Terra feret stellas, Cœlum findetur aratro,
Unda dabit flamas , & dabit ignis
aqua.*

intel-

Intelliget, ut opinor, jam prudens Lector, quorsum hæc omnia tam operosè à me deducta & pertractata sint: Nimirum ut ex iis apertè colligam, Acatholicos omnes, quām diu ab Ecclesia Catholica sejuncti fuerint, semper in præcipitio salutis stare, & nunquam de recta ad Cœlum via securos esse. Si enim vocatio Lutheri Calvinique adeò incerta & infecura est, ergo etiam incertum est eos prædicasse verum purūmque Dei verbum: *quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur?* Ergo etiam incertum est, hodiernā Acatholicoꝝ doctrinam esse veram doctrinā Christi: quia haud aliam doctrinam retinent, quām quæ illis olim à Luthero Calvinóque instillata fuerat. Ergo etiam incertum est, apud ipsos reperiri legitimos Verbi Divini ministros: si enim Lutheri Calvinique vocatio tam ambigua est; quantò magis eorum, qui ab his vocati, neque in Ecclesia Catholica à legitimis Episcopis consecrati sunt? Ergo etiam incertum est,

L 5

præ-

prædicantes Acatholicos verè à peccatis absolvere, atque in Altari divino verum Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi confidere posse: hæc enim non nisi à legitimis Ecclesiæ ministris fieri, certissimum est.

Quid ergo consilii superest miseris Acatholicis, ut salutem suam in tuto collacent? hoc unum, ut abjectis Lutheri Calvinique dogmatis ad Ecclesiæ istius gremium se recipiant, de qua S. Augustinus L. de vera religione C. 7. ita scribit: *Cùm ante paucos annos promiserim tibi scribere, carissime mi Romaniane, quid de vera Religione sentirem, tempus nunc esse arbitratus sum. Repudiatis igitur omnibus, --- qui vel pravâ opinione vel aliquâ similitate superbientes, à regula & communione Ecclesiæ Catholice deviârunt, -- tenenda est nobis Christiana Religio, & ejus Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solum à suis, verùm etiam NB. ab omnibus inimicis. Velint enim, nolintve, ipsi quoque*

*que heretici & schismatum alumni,
quando non cum suis, sed cum extraneis
loquuntur, Catholicam nihil aliud, quam
Catholicam vocant : non enim possunt
intelligi, nisi hoc eam nomine discer-
nant, quo ab universo orbe nuncupatur.*

§. 9nus.

Motivum Nonum & ultimum.

*Quia Doctores Acatholici Ec-
clesiam Romanam gravissimis falsissi-
misque contumeliis lacerant, ut eam
ignoranti populo exosam
faciant.*

Quemadmodum hi, qui à virtu-
te propria commendari neque-
unt, subinde per aliorum vituperia
ad aliquem honoris gradum eluctari
satagunt : ita pariter novarum Ec-
clesiarum primi inceptores Lutherus
& Calvinus, cùm aliud suæ causæ
patrocinium à virtutibus suis & re-
rum à se traditarum sinceritate non
inve-

invenirent, per Ecclesiæ Romanæ cavillationes doctrinam suam extollere, & aliquem defectioni ac molitionibus suis colorem allinere conati sunt. Eum in finem gravissimas contra eam calumnias confinxerè, quarum aliquas breviter hìc adducam, ut ex iis dispicere vir prudens possit, quid de hujusmodi calumniatoribus existimari debeat, & quantum fidei mereantur eorum scripta.

Ordior à Luthero. *Quid injuriosius, quam quod inquit tom. 7. fol. 581. pag. 1. Pontificem & Cardinales credere, neque Deum, neque infernum, neque vitam aliam post hanc vitam esse; vivere autem & mori nos instar boum, porcorum, aliarumque pecudum?* *Quid inficietius, quam quod codem in tomo scribit fol. 588. pag. 2. Papismum esse lernam idolatriæ, quam omnes diaboli infernales ex infima stygis abyssa in lucem traxerint?* Denique, ut alia plura prætermittam, quid magis pestilens & auditu

ditu fœdum, quām quod ibidem fron-
te inverecundâ blaterat , fol. 595.
pag. 1. Papismum esse spectrum menda-
cissimum , nec alio fine in Ecclesia con-
stitutum à diabolo , quām ut exciten-
tur mendacia, blasphemia, idololatria;
Et abjecto Dei verbo Religio ac Fides
omnis prostrata jaceat.

Non minores in Ecclesiam Roma-
nam contumelias eructavit Joannes
Calvinus , qui tametsi subtilior Lu-
thero fuerit, ne unico tamen pilo fuit
illo melior, ne dicam , longè pejor.
L. 4. instit. c. 2. n. 9. idololatriam
illi turpiorem affricat , quām quæ o-
lim apud Israelitas fuerit sub Rege Je-
roboamo,vitulorum adoratore publi-
co : *Age nunc , inquit , negent Pa-
pistæ, si possunt , Religionis statum ita
apud se corruptum , vitiatumque esse ,
ut fuit in regno Israelitico sub Jerobo-
am. Atqui idololatriam habent cras-
siorem ; neque in doctrina , guttulâ
unâ sunt puriores , nisi fortè in hac quo-
que ipsa magis sint impuri.* Imò nec
istâ contentus contumeliâ , etiam

Deum ipsum in testem invocat; quām nihil hic amplificet. O perjurium ! L. 3. instit. c. 20. n. 21. comminiscitur, Ecclesiam Romanam ita sanctorum suorum veneratricem esse , ut Redemptori Christo omnem planè cultum abdicet : *in suis omnibus*, inquit , *litaniis, hymnis, & prosis* , ubi sanctis mortuis nihil non honoris defertur , nulla Christi mentio. O falsitatem , o mendacium ! Demum , ut alia plurima hoc loco non attingam , l. 4. instit. C. 7. n. 27: Theologiæ Pontificis & Cardinalium, fœdisimam appingit notam , ab ea neque Deum credi , neque Christum Dei filium , neque ista omnia, quæ de futura vita & mortuorum resurrectione in sacris literis comprehensa sunt: *ad homines* , inquit , *si veniamus, satis scitur* , *quales reperturi simus Christi Vicarios*: Julius scilicet, & Leo , & Clemens , & Paulus , Christianæ Fidei columnæ erunt , primique Religionis interpretes ; qui nihil aliud de Christo tenuer-

tenuerunt, nisi quòd didicerant in Schola Luciani. Sed quid tres aut quatuor Pontifices numero? quasi verò dubium sit, qualem Religionis speciem professi sint jam pridem Pontifices cum toto Cardinalium collegio, & hodie profiteantur. Primum enim arcanæ illius Theologiae, quæ inter eos regnat, mysterium est, nullum esse Deum: alterum, quæcunque de Christo scripta sunt ac docentur, mendacia esse & imposturas: tertium, doctrinam de futura vita & ultima resurrectione meras esse fabulas. O hominis impudentiam! O impurissimum os!

Quis Acatholicorum non videt, has esse merissimas calumnias ab ore mendacissimo nobis impactas? Quotidie à nostris recitatur Symbolum Apostolorum, præsertim in quotidiano illo precum Ecclesiasticarum penso, quod horas Canonicas appellamus: in quo iterum iterumque ac sœpius dicimus, *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ;* & *in Jesum Christum filium ejus unigenitum,*

*natum, Dominum nostrum --- Credo in
spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam
Catholicam, --- carnis resurrectionem
& vitam æternam Amen: & tamen
ab istis, Novatoribus inquam, an
nugatoribus, impudenter arguimur,
neque Deum, neque Christum, ne-
que carnis resurrectionem & vitam
æternam credere. Litanias omnes,
quarum unas ante quatuor sœcula, an-
no 1307. in charta pergamenta exara-
tas ad manum habeo, incipimus ab
hisce verbis, Kyrie eleison, Christe elei-
son, Christe audi nos, Christe exaudi
nos! easdémque iterum hoc modo
claudimus, Agnus Dei, qui tollis peccata
mundi, parce nobis Domine: Agnus
Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi
nos Domine: Agnus Dei, qui tollis pec-
cata mundi, miserere nobis: Christe audi
nos, Christe exaudi nos. Kyrie eleison,
Christe eleison: & tamen impudenter
singimur, in omnibus Litaniis, ma-
gnam Cœlitibus omnibus veneratio-
nem tribuere; de Christo autem nihil
peni-*

penitus meminisse. A teneris edoce-
mur omnes decem Præcepta Decalo-
gi , intérque ea primum istud , *Ego
sum Dominus Deus tuus , non habebis
Deos alienos coram me , nec facies tibi
sculptile , ut adores illud :* quin etiam
in illius explicatione constantissimè
nobis inculcatur , unum duntaxat
Deum esse, & præter hunc nulli alteri
divinos honores absque gravissimo
idolatriæ peccato adhiberi posse vel
debere: Et tamen impudentissimè su-
gillamur , crassiorem idolatriam a-
gere , quàm olim Israelitæ sub Jero-
boam , qui fecit duos vitulos aureos , &
dixit , ecce ! Diū tui Israël , qui te eduxerunt de terra Ægypti . 3. Reg. 12. Deni-
que Ecclesia Catholica , sive congre-
gatio fidelium sub uno visibili in ter-
ris capite [quam Novatores isti Pa-
pismum vocant] ab ipsomet Chri-
sto instituta ac fundata est in B. Pe-
tro Apostolo , primo Christi in terris
Vicario ; cui , ut inquit Augustinus
epistolâ 165. ad Generosum , totius

M

Eccl-

*Ecclesia figuram gerenti Dominus ait ,
super hanc petram ædificabo Ecclesiam
meam , & portæ inferorum non vin-
cent eam : eidemque congregationi
ex unanimi sententia sanctorum Pa-
trum tam constanter firmiterque in-
hærendum est , ut S. Augustinus epi-
stolâ jam citatâ inquit , si tibi An-
gelus de cælo diceret , dimitte Christia-
nitatem orbis terræ sub isto visibili ca-
pite congregatam , & tene partes Do-
nati , Lutheri , Calvini , aliorūmque
similium , anathema esse deberet . Et
tamen Lutherus , proculcata ipsius
Christi omniumque sanctorum Pa-
trum auctoritate , impudenter ac men-
daciſſimè ausus est afferere : Papif-
cum esse spectrum mendaciſſimum , nec
alio fine in Ecclesia constitutum à Diabo-
lo , quoniam ut excitentur mendacia , bla-
phemie , idolatria , & abjecto Dei ver-
bo , religio ac fides omnis prostrata jaceat .
Quænam ista calumniandi licentia ?
Quis modus decipiendi ac seducendi
populum ? Ecquis unquam Evangelista
vel*

vel Apostolus , quis Ecclesiæ Doctor,
aut alius quisquam ex antiquis Eccle-
siæ Patribus, tam intolerabili menda-
ciorum genere contra adversarios suos
progredi visus est , in iis voluminibus,
in quibus verum purumque Dei ver-
bum tradere se profitentur ?

Nimis prolixus forem , si eodem
scribendi modo recensere vellem o-
mnes alias hujusmodi calumnias, quas
ex Lutherò Calvinóque sumptas ad-
versarii nostri plenis faucibus in nos
conjiciunt : Videlicet quòd Virginem
Deiparam aliósque Sanctos honoribus
Divinis prosequamur ; quòd eosdem
veluti redemptores ac mediatores no-
stros invocemus ; quòd in ipsorum
statuis ligna & lapides , in augustissi-
mo autem Eucharistiæ Sacramento
panem & vinum adorare consueveri-
mus; quòd neglectis calcatisque Chri-
sti meritis , per nostra ipsorum opera
bona conemur in cœlum scandere ;
& si quid aliud hujusmodi ineptiarum
est, Refutationem sinceram talium

M 2

con-

conviciorum qui cupit legere, inspi-
ciat Heliopolim, germanicè die Son-
nen, Stadt Patris Jodoci Kedd, aliós-
que libellos plurimos, in quibus Ca-
tholicæ Religionis veritas, scripturæ
sacræ & sanctorum Patrum testimo-
niis, tam clarè ac breviter stabilita est;
ut vel ipsis, quod ajunt, manibus pal-
pari queat, Ecclesiam Romanam ab
hujusmodi cavillationibus puram ac
planè innocentem esse. Videbit ibi,
Beatissimam Virginem, aliósque Cæ-
lites, à Catholicis non adorari ut
Deos; sed tantùm coli ac invocari ut
amicos Dei. Id autem ab omni su-
perstitionis ac idololatriæ vitio remo-
tissimum esse, fatetur S. Augustinus
l. 20. contra Faustum, c. 21. ubi sic lo-
quitur: *Colimus ergo Martyres -----*
At illo cultu, qui græcè latria dicitur,
nec colimus, nec colendum docemus,
nisi unum Deum. Fatetur S. Ambrosius
l. de Viduis, ubi ita scribit: *Obsecrandi*
sunt ergo Angeli pro nobis, qui nobis ad
præsidium dati sunt: Martyres obsecran-
di,

di, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare &c. Fatetur S. Hieronymus in Epist. adversus Vigilantium, ubi errorem contrarium prosternit hoc Argumento : Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris; quantò magis post coronas, victorias, & triumphos? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam; quin & Stephanus imitator Domini sui pro persecutoribus veniam deprecatur : & postquam cum Christo esse cuperint, minus valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in navi animas condonatas : & postquam resolutus, esse cæperit cum Christo: tunc ora clausurus est; & pro iis, qui in toto orbe ad suum Evangelium crediderunt, mutire non poterit?

Huc igitur te remitto, Lector Aca-
tholice! simûlque instanter moneo, ut
prudenti judicio tecum ponderes,
quàm parùm securitatis collocari pos-
sit

sit in omnibus doctrinis illis, quæ ex gemino isto falsitatum ac mendaciorum fonte profluxerunt. Certè si Lutherus & Calvinus in iis libris, quos vel maximè dogmaticos & omnis erroris expertes esse oportebat, adeò impudenter mentiri visi sunt; quis in posterum audebit unquam his libris fidere? quis doctrinas aliquas in iis contentas approbare? quis fidem suam satis tutam ac securam dicere, quæ in ipsa scaturigine sua tam horrendis fœdissimisque falsitatibus respersa est? Agant hic & sequantur alii, quodcunque volent! Ego meliore conscientiâ filiem meam ab illis retraho, & cum Sancto Paciano Episcopo Barcinonensi, qui circa Annum 390. vitam suam finiit, libellum hunc finiens ita
 *exclamo: *Christianus mihi nomen est, Catholicus cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit: hoc probor, inde significor: non est ab homine mutuatum, quod per saecula tanta non cecidit.* Et cum

*S. Pacian. in Ep. I. ad Symph. Nov. de Cath. nom.

cum B. Vincentio Lirinensi, in libello
aureo, adversus profanas omnium hæ-
reseon novationes circa annum 434.
exarato: *Ille est verus & germanus Ca-
tholicus, qui veritatem Dei, qui Eccle-
siam, qui Christi corpus diligit; qui Ca-
tholicæ fidei nihil præponit; qui in fide
fixus, stabilis, permanens, quidquid u-
niversaliter antiquitus Ecclesiam NB.
Catholicam tenuisse cognoverit, id solum
sibi tenendum credendumque decernit.*
*Quidquid vero ab aliquo deinceps uno,
præter omnes, vel contra omnes Sanctos,
novum & inauditum subinduci senserit;
id non ad religionem, sed ad tentatio-
nem potius intelligat pertinere.*

F I N I S.





120
Th
5230